DE

MACROBIO

CICERONIS INTERPRETE PHILOSOPHO.

Non mediocris philosophus, et magni Ciceronis expositor, Macrobius.
PETR. ABÆL., *Introd. ad Theol.* (Paris, 1849-59, pars post. p. 47.)

THESIM PROPONEBAT

Facultati litterarum Parisiensi

L. PETIT
In eadem facultate licentiatus,
In Silvanectensi Sancti Vincentii schola professor



LUTETIÆ PARISIORUM
PROSTAT APUD AUG. DURAND
VIA OLIM DES GRÈS, NUNC CUJAS DICTA, 7.

M DCCC LXVI





DE

MACROBIO

CICERONIS INTERPRETE PHILOSOPHO.

Non mediocris philosophus, et magni Ciceronis expositor, Macrobius.

PETR. ABÆL., *Introd. ad Theol.* (Paris, 1849-59, pars post. p. 47.)

THESIM PROPONEBAT

Facultati litterarum Parisiensi

L. PETIT

In eadem facultate licentiatus,

In Silvanectensi Sancti Vincentii schola professor.



LUTETIÆ PARISIORUM

PROSTAT APUD AUG. DURAND

VIA OLIM DES GRÈS, NUNC CUJAS DICTA, 7.

M DCCC LXVI

STUDIORUM MEORUM, A PRIMIS,

BENEVOLENTISSIMO OPTIMOQUE FAUTORI,

J. P. CHARPENTIER,

IN FACULTATE LITTERARUM PARISIENSI OLIM PROFESSORI VICARIO,

ACADEMIÆ PARISIENSIS AD HONOREM INSPECTORI,

HANC OPELLAM,

GRATI ANIMI PIGNUS,

D. D.

L. PETIT.

I.

Introductio et propositum.

De Macrobio, Ciceronis interprete philosopho, dicere instituendo, arduam sane rem elegisse, sed opportunum saltem tempus arripuisse arbitramur. Illud enim veteris scientiæ monumentum, quod nobis, sub Somnii Ciceronis Commentarii nomine, reliquit, situ quodam ævi sui obductum, ideoque aut ignoratum aut despectum, plurima fert præ se documenta, quæ facilius et utilius nunc evolventur, quum, recentiorum libris (1) illustrata, nova sub luce prodiit Alexandrinorum doctrina, a qua fere totus provenit Macrobius. Cum igitur Somnium Scipionis in manibus puerorum versari animadvertebamus,

(1) Creuzer, Plot. Enn. Paris, 1855. — Bouillet, traduction des Enn. de Plot. Paris, 1859.— Simon, Hist. de l'école d'Alex. Paris, 1845. — Vacherot, Hist. crit. de l'école d'Alex. Paris, 1846 et 1851. — Cousin, Procli opera, Paris, 1820 et 1863, et Hist. gén. de la Phil. Paris, 1864. — Berger, Proclus, exposition de sa doctrine. Paris, 1840, etc.

quibus nonnullius difficultatis erat Ciceronis sententiam intelligere, nobis succurrit, illam explanaturis, in Macrobii Commentario paulisper immorari, et, deinde, ab illo petere an aliquid secum ferret quod altius spectaret, et ad philosophiæ historiam illustrandam conduceret. Nec nos quidem fefellit difficilem subobscuramque esse laboris nostri materiem, et pæne ingratum auctoris nostri nomen. Non est enim quod aut Boethio, inter Christianos et Latinos, aut Proclo, inter Græcos et profanos, seu excogitandi vi, seu dicendi facultate, Macrobium conferre velimus, qui quidem illis proximus accedit, longo sed proximus intervallo. Quibus igitur de causis dignus sit qui legatur serus ille Ciceronis interpres, simul et quæ sit propositi nostri summa, hic statim exponere, nec inutile nec inopportunum censemus.

Et, imprimis, propterea dignus est cui studeamus, quod eo tempore exstitit quo nullum aliud reperire est, in Occidente, apud profanos, philosophiæ vestigium. In medii ævi confinio positus, et omnem adhuc græcam latinamque antiquitatem perspectam habens, altera parte lucem illam respicit, altera autem infelicibus, quæ sequuntur, temporibus, quasi fumosam facem præbet. Tardus ultimusque, in Occidente, Alexandrinorum discipulus, ostendit et quanti facta et quam sterilis fuerit illorum doctrina, quamque deformata ad Latinos devenerit. Dum Platonicus dici gloriatur, Platonicamque doctrinam tra-

dere et defendere profitetur, medii ævi scriptores, apud quos plurimum valuit, Platonis nomine sæpius decipit; et, dum, absque ulla methodo, dum, ulla sine disceptatione, vulgata Alexandrinorum placita tradere tantum studet, nobis demonstrat, sua quidem pro parte, quomodo tunc evanuerit philosophia, et quomodo Christianæ theologiæ prævaluerit auctoritas.

Centesimo fere et quinquagesimo anno postquam siluerant Plotini et Porphirii voces, quinquagesimo autem antequam Procli vox Athenis audiretur, scripsit Macrobius; et, dum ad Christianos, novo spiritu afflata, novo induta habitu, errore purgata et divina confirmata auctoritate, confugisse videtur philosophia; dum viget Augustinus, novam fidem compluribus illustrans libris, solus inter profanos linguæ latinæ scriptores apparet testis ille, a quo poscamus qualis tunc vulgata fuerit, apud falsorum numinum sectatores, in Occidente, philosophia. Et iste quidem, his instructus libris, his informatus scholis, eo ingenii acumine pollens, hoc rerum publicarum usu edoctus, et virorum eruditorum eo commercio perpolitus apparet, ut illius testimonii rationem habere æquum sit.

Objicietur fortasse proditionem esse quamdam testem hunc adducere, qui parum per se sapit, quique, et confusa eruditionis mole, et quodam ingenii defectu, et linguæ præsertim barbarie, hanc

ipsam elevat et obscurat doctrinam quam in lucem proferre et commendare aggreditur, illamque in hoc discrimen adducit ut cum defensore suo periclitetur, quam silentio prætermittere certe melius fuisset. Sed non est quod hoc crimine plus æquo moveamur, quod ad tempora et ad scholas spectat magis quam ad ipsum Commentarii auctorem; præsertim cum nobis ea mens certa sit ut, quam exactissime poterimus, quid temporibus, quid Macrobio, quid Alexandrinorum scholæ, in hoc philosophiæ occasu, tribuendum sit demonstremus. Non igitur merita laude fraudandus est ille, qui, cum Somnio Scipionis, simul nobis tradidit summam philosophiæ quæ, quinto incipiente seculo, apud profanos vulgabatur, quamque summatim Commentario suo inseruit. Si non adeo ingenua excogitandi vi pollet ut inter philosophos locum obtineat, singulari tamen scientia (1) et ingenii acumine, merito inter doctissimos litterarum et philosophiæ professores annumerari potest; et, si despectus fuit, ut qui adscitos induerit colores, hac ipsa de causa nobis studio non indignus

(1) Quos auctores legerit ex hoc intelligi potest quod sæpe Platonicos, Pythagoricos, Physicos, Epicureos, Ægyptios, Chaldæos in universum, sæpius autem et nominatim : Plotinum, Porphyrium, Numenium, Apuleium, Heraclidem Ponticum, Xenocratem, Platonem, Pythagoram, Philolaüm, Parmenidem, Empedoclem, Xenophanem, Zenonem et atomicum Democritum, Heraclitum, Anaximenem, Aristotelem, Theophrastum, Stratonem, Diodorum, Boethum, Epicurum, Coloten, Posidonium, Critiam Socraticum, Archimedem, Eratosthenem, Hippocratem, Asclepiadem, Orpheum, Hesiodum, Homerum, Aratum, Virgilium, Lucanum, Petronium Arbitrum, etc., indicet. De hoc vid. Jan. prolegom. c. II, p. 11.

visus est, inquirentibus non tam quid ipse invenerit, quam quid vulgo, hoc tempore, inter doctos, pro comperto haberetur. Non illi autem crimini vertimus quod alienam et quasi mediam quamdam doctrinam tradidit, cum hanc ipsam doctrinam, illo duce, recensere nobis in animo sit; neque illum minoris facimus quod velut multorum librorum et disciplinarum compendium quoddam, sub nomine suo, reliquit, cum ipse nihil aliud propositi habuisse testetur (1).

Propositum itaque nobis fuit, postquam quædam de patria, de religione, de ætate, de studiis Macrobii, et de his quæ Commentario suo præposuit, attigerimus, illud omne opus evolvere; et operæ pretium facturos esse arbitrati sumus, si indagare et in lucem proferre valuerimus quid, tum ab antiquis, tum a recentioribus, qui Alexandrini seu Eclectici dicti fuerunt, sumpserit Macrobius, et quo modo illud in Commentarium Somnii Scipionis intulerit. Unde, illum Alexandrinis, Augustino, et medii ævi philosophis comparando, æstimare licebit qualem obtinuerit in philosophiæ historia locum, qualisque exstiterit virorum philosophiæ prudentium apud profanos

(1) « Nihil mihi, Eustachi, institutione tua antiquius æstimatur, ad cujus « perfectionem compendia longis anfractibus anteponenda ducens, moræ- « que omnis impatiens, non operior ut per hæc sola promoveas, quibus edis- « cendis naviter ipse invigilas : sed ago ut ego quoque tibi legerim ; et, « quidquid mihi, vel te jam in lucem edito, vel antequam nascereris, in di- « versis, seu græcæ, seu romanæ linguæ voluminibus, elaboratum est, id « totum sit tibi scientiæ supellex. » Saturn. Intr. p. 1.

doctrina, ea ætate qua obmutescere, et, medii ævi jam ingruentibus umbris, obscurari visa est philosophia.

Neque nos ab incœpto deterruerunt tenebræ illæ, quas circa Macrobii nomen doctrinamque, simul et temporum infelicitas, et sermonis barbaries, et rerum quas tractavit confusio ac difficultas, velut opacam nubem obduxerunt. Ex hoc enim ipso gratiam et pretium labori nostro accessura speramus, quod istos philosophiæ abstrusos recessus explorare, et lucem quamdam ex hoc fumo elicere tentaverimus. Felices igitur et voti compotes erimus, si locum quemdam, in philosophiæ historia, huic scriptori assignaverimus, quem vix apud recentes nominari audivimus, et qui, licet non primas teneat, non id tamen dedecoris meruit ut de illo omnino sileatur : ingrati nempe animi aut ignorantiæ crimen subeundum esset, si de illo taceretur, qui, in Occidente et in lingua latina, philosophiæ quædam vestigia sic impressa reliquit, ut, per eum, et veterum disciplinas et Plotini doctrinam ad medii ævi scriptores meavisse merito credatur.

II.

De Macrobii patria, religione, ætate.

Si non satis liquet quis fuerit Macrobius noster, multaque de hoc, apud eruditos viros, in contrarium disputata fuerunt (1), tamen pro certo ducimus illum, e græcis scholis et ab Oriente ortum, paganorum religioni addictum, et magnis auctum dignitatibus, circa primos quinti sæculi annos floruisse; quod quidem scire nobis satis est et abunde proposito nostro sufficit.

Inter plurima magni ponderis testimonia, quæ de patria et religione Macrobii afferri possunt, ea tantum ab ipsius operibus desumpta expedire æquum censemus, quæ nullo sane alio argumento egent ut confirmentur. Non est profecto quod hunc in Occidente et in Italia natum instructumque litteris teneamus, qui dixit (2) : « Nos, *sub alio ortos cœlo*, « latinæ linguæ vena non adjuvat..... petitum impe-

(1) Vid. Mahul (éd. Nisard, 1854), p. 1 et seq.; et Jani prolegom. p. 6.
(2) Macr. Saturn., lib. I, p. 147; éd. Nisard.

« tratumque volumus, æqui bonique consulant, si in « nostro sermone nativa romani oris elegantia desi- « deretur; » quique, et stylo et doctrina, ubique græcum redolet. Non est quod illum Christianum fuisse credamus, qui scripsit (1) : « In sacris quoque invo- « camus Janum geminum, Janum patrem ;... cur ge- « minum invocemus supra jam diximus etc. », quique, in Saturnalibus, postquam Prætextatum (2) et Symmachum, Deorum sacerdotes, induxit de Deorum cultu et natura disserentes, convivas omnes, sibi notos et familiares, et eadem quæ ipse sentiat professos, Prætextati doctrinam et religionem fingit admirantes.

De tempore quo floruerit, si nihil æque certum et definitum afferre valemus, exploratum tamen habemus illum Symmachi et Prætextati ætate vixisse, sed natu fuisse minorem. Scripsit enim (3) : « Nec « mihi fraudi sit, si uni aut alteri ex his quos cœtus « coegit, matura ætas posterior sæculo Prætextati (4) « sit. Quod licito fieri Platonis dialogi testimonio sunt. « Quippe Socrate ita Parmenides antiquior, ut hujus « pueritia vix illius apprehenderit senectutem..... an- « nos ergo coeuntium mitti in digitos, exemplo Plato- « nis nobis suffragante, non convenit. » Ad primos igi-

(1) Macr. Saturn., lib. I, c. IX.

(2) Id. ibid., lib. I, c. XXIV. «Hic, cum Prætextatus fecisset loquendi finem, omnes in eum adfixis vultibus admirationem stupore prodebant : dein laudare hic memoriam, ille doctrinam, *cuncti religionem.* »

(3) Saturn., lib. I, c. I.

(4) Romæ præfectus fuit Prætextatus an. Chr. 384. Vid. Mahul. Macr., éd. Nisard, p. 5.

tur quinti sæculi annos a peritissimis auctoribus (1) recte referri potuisse credimus Macrobii opera, qui, Theodosio Magno, Honorio, et Theodosio II imperantibus, vixit, et publicis muneribus functus est (2).

(1) Riccioli, Saxius, Schœl. Vid. Mahul : éd. Nisard, p. 2.
(2) Theod. Cod., vol. VI, p. 370.

III.

Libanii discipulus fuit Macrobius.

Non possumus autem non hic aliqua, ex Libanii ad Ambrosium epistolis desumpta, proferre, Macrobii nomini, ætati, dignitatibus, religioni, studiis, adeo consentanea, ut ex his illum Libanii jam senis discipulum fuisse patere nobis videatur (1) : « Benefi-« cium a te peto quod cupide mihi largieris. Vobis « enim *junioribus* ubi *magistratus* sunt demandati, « *senioribus nobis* gratum facere volupe est. Præcep-« toribus quoque voluptatem affert a discipulis aliquid « petere, discipulis autem ex animi sententia quid-« quid præstare posse....... (2) Litteras tibi mittimus « per virum, qui rhetorum optimum, hominum man-« suetissimum, præfectorum dexterrimum se præstat. « Hoc enim et adhuc plura Hellesponti incolæ in *Eu-« sebio* (3) deprehenderunt. Vos vero itidem intelli-

(1) Liban. ep. 182, apud Wolfium.

(2) Liban. ep. 1256.

(3) Eusebium credimus illum fuisse quem laudat Macrobius et inducit disserentem in Saturnalibus.

« getis... tuum vero est te ipsi aperire. In puras enim « aures verba fundes, et animum invenies omni stu- « dio dignum..... (1). Tibi Dii, qui columbis gau- « dent (2), *magistratum* perpetuo prospere fluere ju- « beant, ut *priora* viam muniant *melioribus*........ (3) « ... Ex urbe in Cydippram (cyclipeam ?) fugisse te « audio, ubi indesinenter *litteris vacas*. Consilium « tuum ego ita probo ut optem idem mihi facultatis « dari..... Solus esse non potes, cui præsto sunt mo- « remque gerunt semper quietissimi ac tranquillissimi « comites, *diversorum generum libri*. Gratulor tibi ea « assecuto, quæ optima dari mihi peropto. »

Quæ quidem Libanii epistolæ, Macrobii ipsius testimonio multum addunt, si, ut inter doctos sæpius mos usurpatur, sub Ambrosii cognomine (4), ad Ma-

(1) Liban. ep. 1550.

(2) Columbas Libanio miserat Ambrosius.

(3) Liban. ep. 15, p. 739, ap. Volf. a Zambicario translata.

(4) De ipso Macrobii nomine sæpe et multum disputatum fuit; constat tamen Ambrosii cognomen illi semper attributum fuisse, idque adeo ut Tillemontus (Hist. imp. t. V, p. 818), cum de Ambrosio agitur, Macrobium intelligi velit.

Quod si epistolas istas Libanii intra annos 380 et 395 scriptas fuisse merito æstimamus, et quadraginta annis natu majorem fingimus professorem, discipulus intra annos 380 et 430 floruit, et in illo Macrobium nostrum agnoscere possumus. Postquam enim minoribus officiis functus est, vivente adhuc Libanio, P. P. Hispaniæ fuit an. 399, Galliarum vicarius sub Vincentio, an. 400, et sacri cubiculi præpositus, an. 422; quæ omnia Macrobio tribuuntur a codice Theodosiano (t. V, p. 370).

Si falsa habenda est opinío qua Macrobium nostrum eumdem esse profitemur atque Ambrosium Libanii discipulum, hæc omnia quæ nomini, ætati, linguæ, religioni, necessitudinibus, curis et studiis illius consentanea sunt, Ambrosio cuidam tribuenda essent, plane cætera incognito; quod quidem mirando nimium casu accidere videbitur, si reputaveris Libanium, istos præcipue inter discipulos coluisse, quos senectuti suæ et honori et gratiæ

crobium nostrum scriptæ sunt. Magistro enim profitente, clarius apparebit quo tempore et qua in regione educatus, cui religioni addictus, et quibus curis et studiis occupatus fuerit Macrobius. Sed hæc quæcumque de Commentarii auctore habeantur, ad ipsum opus jam transeundum est quod exagitare et æstimare suscepimus.

fore arbitratus est. Ambrosium igitur Macrobium, alterum velut Ammianum Marcellinum, in Occidente, videre sibi visus est Libanius, et merito quidem, quem his epistolis prosecutus est.

IV.

De Commentario in Somnium Scipionis, et de his quæ Commentario præponuntur.

Pauca tantum ad philosophiam spectantia libaverat in Saturnalibus (1) Macrobius, ibique Symmachum audiveramus dicentem : « De Cicerone, qui « conviciis impenetrabilis est, post videbimus » ; et, cum nullam aliam fere vel Ciceronis, vel philosophiæ mentionem fieri in Saturnalibus reperimus, alioque tenore, alia forma, instauratum Somnii Scipionis Commentarium invenimus, pro certo duximus opus hoc posterius pleniusque Saturnalium auctorem tractare voluisse. Istud quidem, etiam ad Eustachii, filii sui, institutionem susceptum, maturum aliquid profert et altius prospicit. Viri enim, qui ad publicarum rerum gubernacula propius accessit, mentem denuntians, ingenii romani aliquid græcas inter disceptationes infert et retinet. Auctorem his temporibus natum esse facile dignoscas quibus, cum solve-

(1) Macr. Saturn. lib. I, c. XVII, XVIII, XXIV, XXV ; lib. II, c. XXIV ; lib. VII, passim.

retur et corrueret imperii romani compages, societatis humanæ fundamenta penitus introspiciebantur. Illud enim investigans, in quo firmius et stabilius fundatur omne omnium hominum inter se commercium, Platonis et Ciceronis de republica libros (1) legit et contulit, quorum « alter (2) qualis esse de« beret respublica, alter qualis esset a majoribus insti« tuta disseruit. » Tum animadvertit non alio spectare apud Platonem Eris fabulam, aut apud Ciceronem Somnium Scipionis, quam ut indicaretur « quo his « perveniendum, vel potius revertendum sit, qui rem « publicam cum prudentia, justitia, fortitudine ac mo« deratione tractaverint (3). » Illa nempe immortalitatis animarum fide, et alterius vitæ exspectatione, quæ mortalis hujus vitæ injurias reparet et merita virtuti præmia rependat, præcipue nititur justitia, « sine qua non solum respublica, sed nec exiguus « hominum cœtus, nec domus quidem parva consta« bit (4). » Postquam igitur utriusque philosophi propositum exposuit, ipse, Ciceronis verba, carptim et veluti per membra, referens, et commentario adornans, Somnium Scipionis explicare aggreditur, quem docendi modum, apud philosophiæ professores, maxime tum usurpatum animadvertimus. In quo sane

(1) Conf. Aug. de Civ. Dei, lib. II, c. XXI, ubi illum, eodem tempore, libros Tullii de republica legisse videbis.

(2) Macr. Comm. lib. I, c. I.

(3) Id. ibid. lib. I, c. I.

(4) Id. ibid. lib, I. c. I, Conf. Aug. de Civ. Dei, lib. IV, c. IV, ubi ait : Remota justitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia ?

opere, si hoc imprimis laudandus apparet quod Somnium Scipionis servaverit et transmiserit, non tamen hanc unicam Macrobio tribuere laudem satis est, quæ magis ad Ciceronem pertinet. Macrobii autem Commentario adeo non obteritur Ciceronis philosophi laus, ut contra nimia forsan existimetur et ultra meritum extollatur : non dubitavit enim scribere : « Cum sint totius philosophiæ tres par« tes : moralis, naturalis et rationalis..... nullam « de tribus Tullius in hoc Somnio prætermisit..... « Vere igitur pronuntiandum est, nihil hoc opere « perfectius, quo universæ philosophiæ continetur « integritas (1). »

Non nobis profecto in Scipionis Somnio universæ philosophiæ integritas contineri videtur, sed in Macrobio potius id propositi esse credimus ut inde, velut opportuna data occasione, de philosophia omni disserat, et filio suo omnem tradat philosophiæ supellectilem quam ex multis et diversis libris comparavit. In ista autem comparanda supellectile, si methodus et ordo desiderantur, si non ipsas partes quas amplectitur satis dignoscere videtur, si Christianos inter et Alexandrinos quid intercedat non attingit, non ideo illum aut scientia aut judicio omnino caruisse existimamus, cum utriusque multa

(1) Macr. In fine Commentarii. De hac autem philosophiæ divisione conf. Sen. ep. 89 ; et Aug. de Civ. Dei, lib. VIII, c. VII, VIII et X.

documenta Commentarius Somnii Scipionis præbeat. Neque miramur eum christianam philosophiam ignorare visum esse, cum nulla ferme alia via illam impugnari posse crediderit quam si dedignaretur, illique præstantioris philosophiæ lux opponeretur; quin etiam reverentia maxime tenebatur erga religionem cui favebat imperator.

Quod autem attinet ad diligentiam et judicium auctoris, cujus propositum exposuimus, ni fallimur, plurimis ille occupationibus et curis districtus, memoria fretus et mira instructus eruditione, nimia sane ingenii sui opinione elatus, multa protulit quæ « celerem nimis operam curaque carentem » produnt; sed ista quæ in promptu habuit, studio digna sunt, ut quæ ostendant quibus tunc præcipue disciplinis alerentur et imbuerentur ingenia virorum, qui cæteris litterarum cultu præstabant. Restat igitur ut ex hoc Commentario Macrobii id depromamus quod in lingua latina, quod in Occidente, et inter profanos de philosophia tunc vulgabatur, cum jam linguæ græcæ laus et usus adeo sordescere cœperant, ut sæpius et jactantius de hoc querentem Libanium audiverimus (1).

Et, quoniam, in difficili materia, ordine opus est ut luce quadam illustretur confusum et tenebricosum Macrobii opus, hanc ipsam totius philosophiæ divisionem adoptavimus, quam ipse in fine Commentarii

(1) Vid. imprimis τὸν περὶ τῆς ἑαυτοῦ τύχης λόγον p. 103, 133, 134. V. I, ed. Reiske.

sui indicat, et, quid de naturali, quid de rationali, quid de morali philosophia docuerit, singulatim tractavimus, ut, in quaque parte, quid ab antiquis aut a recentioribus mutuatus sit, adnotemus, et, quantum poterimus, dijudicemus.

Sed, Ciceronis sententiam Commentario suo explicaturus, quædam præfatur Macrobius de fabulis aut fictionibus in philosophia adhibendis, et de variis somniorum generibus; quæ, licet non aptissime Commentario conducant et hæreant, ostendunt tamen primo adspectu, et quasi ab ipso operis limine, quæ fuerit tunc ingeniorum inclinatio, quis disputandi et docendi, sive in scholis, sive apud eruditos, modus; quis denique philosophorum illius ætatis præcipuus labor et quasi communis habitus. Ex his quippe colligitur evolvendis veterum libris potissimum tunc illos sese addixisse viros, qui ingenio et cultu cæteros antecellebant, quique, omnem fere studiorum materiam penitus jam tractatam rati, nil aliud sibi reliquum putabant nisi ut, inter veterum placita, quid sibi maxime probandum vindicandumque esset dijudicarent. In his autem quæ disserunt, inest eruditionis nimia quædam ostentatio, insunt quædam in disputando argutiæ et cavillationes, inest nimia, ut in viris philosophis, credulitas. Magnam in illis deprehendas et scientiæ jactationem, et rudem ingenii simplicitatem. Adeo in omnes partes versantur illorum sententiæ, ut sæpius non liquido satis

appareat eorum de præstantissimis rebus opinio. In disquirendo verum, non ratione et via, sed temere procedunt, et, verum avide insectantes, falsa sæpius pro veris complectuntur. Sic serio multa de oraculis, de variis somniorum generibus significationibusque, agitat Macrobius, sic longius disputat « de fabulis « quibus repugnat philosophia et de fabulis quibus ac« quiescit (1). » Ista vero, ab ipso operis exordio, ostendunt et quos philosophos vel secutus sit vel impugnaverit, et qua eruditione uti abutique consueverit.

Platonicam ibi Eris fabulam defensurus, Epicureos refellit, præcipueque inter eos Coloten (2) lacessit, fabulam a philosopho nunquam esse confingendam, nullumque figmenti genus veri professoribus convenire declarantem. A cujus proposito parumper declinans, et altera affirmatione respondens Macrobius, ait : neque fabulis ad aurium tantum voluptatem spectantibus, neque fabulis, quibus non ipsa subest veritas, philosophos uti consuevisse, sed illos, per allegoriam, multa de Diis (3), de Deorum sacris, de anima et de ætheriis potestatibus, qualia apud Hesiodum et Orpheum reperiuntur, jure et merito referre potuisse : « adeo, inquit, semper ita se et sciri et coli « numina maluerunt, qualiter in vulgus antiquitas

(1) Macr. Comm. lib. I, c. II.

(2) Cavillationes, quas Colotes in Platonis aliorumque philosophorum placita congesserat, refutavit Plut. lib. quem inscripsit : Πρὸς Κολώτην.

(3) Abnuunt autem, inquit, quod memoratur de Diis adulteris, de Saturno, pudenda Cœli patris abscindente, et a Jove in vincula conjecto.

« fabulata est. » Philosophi autem his velis (1) veritates omnes non tegunt qui, « cum ad summum et « principem omnium Deum se attollunt, vel ad men- « tem quam Græci νοῦν appellant, originales rerum « species, quæ idææ dictæ sunt, continentem, ex « summo natam et profectam Deo.... nihil fabulo- « sum penitus attingunt... sed ad similitudines et « exempla confugiunt. Sic Plato, hoc solum de Deo « sciens quod sciri quale sit ab homine non posset, « solum vero ei simillimum de visibilibus solem re- « perit....(2) » In his autem omnibus quæ a primo ingressu subobscura, incerta et confusa nimis, exponit Macrobius, Platonicum quemdam agnoscere est, post Plotinum, Porphyrium et Julianum imperatorem, de summo Deo dicentem, quem prope pudet fabularum vulgo de Diis receptarum, qui idæas, originales rerum species, e summo natas et profectas Deo profitetur, qui, Epicureos jam insectatus, Peripateticos postea impugnabit, quique doctrinam, apud eruditos sui temporis viros Platonis nomine commendatam, nimia eruditione et sermonis barbarie corrumpit, dum illam illustrare affectat.

Eruditionis vero suæ specimen non omittendum dedit in illa, quæ subsequitur, somniorum divisione et descriptione (3), ubi somniorum quinque genera

(1) De his vid. Abæl. intr. ad theol., p. 47 et Cousin, Procli opera, Paris, 1820, préf., p. 16 et p. 29, et Rapport sur une édition à faire de Pascal.

(2) Macr. Comm. lib. I, c. II.

(3) Macr. Comm. lib. I, c. III.

esse demonstrat. De quibus tum longam inchoat disputationem, ostendens tria tantum inter hæc ad Somnium Scipionis recte referri posse. Et hæc quidem disputatio, etsi insulsa admodum et inanis recentiorum ingeniis apparet, nonnullius tamen utilitatis est ad cognoscendam veterum de his scientiam, cujus compendium quoddam præbet. Qualiter autem eruditionis jactationi, auctore Porphyrio, indulgeat, præclare declarat et locus alter, qui huic disputationi subjunctus est, et in quo edocet (1) cur porta ex ebore falsis somniis, et e cornu veris sit attributa : quia scilicet natura sua translucidum est cornu, dum ebur contra lumini nunquam pervium esse potest. Illa autem etiam quæ post Porphyrium docet, licet forsitan risum aut fastidium moveant, alicujus momenti sunt ad explicandam Virgilii de his sententiam, necnon ad æstimandum qualis de his doctrina ad medii ævi scriptores descenderit, cum meminerimus ista a Joanne Sarresbiensi (2) et perlecta et denuo tractata fuisse.

Sed de his satis dictum. Postquam enim, paulisper a via deflectens, ista indulgentius tractavit Macrobius, orsus a Ciceronis verbis, ut quæque legenti occurrunt, omnes fere philosophiæ partes attingit, et ulla sine methodo, ullo sine ordine, id omne tradit quod tunc vulgabatur. Jam quidem illud in his quæ confusa nimis exposuit, observato quem supra

(1) Macr. Comm. lib. I, c. III.
(2) In Policratico, lib. II, c. XIV et XV.

diximus ordine, enotandum superest; et ideo seorsum tres philosophiæ partes, quas ipse indicat, e Commentario excerptæ et digestæ, explicandæ sunt, ut inde planius et melius, si fieri potest, appareat qualis tunc temporis exstiterit philosophia.

V.

Quid docuerit Macrobius de naturali philosophia.

Hanc primam philosophiæ partem, quam naturalem appellat, aggressuri, quæ sub hoc titulo docuerit recensebimus. Ista vero, etsi confusa et indiscreta traduntur in Commentario, quæ sínt tamen, auctore Macrobio, definire possumus; ait enim (1) : « Cum « de sphærarum modo, vel de novitate sive magni- « tudine siderum, deque principatu solis, et circis « cœlestibus, cingulisque terrestribus, et Oceani « situ, loquitur (Cicero), et harmoniæ superum pan- « dit arcanum, physicæ secreta commemorat. » In qua definitione videre est quam discrepet et distet a divisione, a methodo et a placitis nostris, veterum doctrina philosophorum; illi enim, sub uno et eodem nomine, id omne provinciæ suæ esse arbitrabantur, quod, a recentioribus jure dissociatum, in plurimas artes et disciplinas effloruit quæ certo li-

(1) Macr. Comm., lib. II, c. XVII.

mite definitæ, certa methodo instauratæ, ad id ascenderunt fastigii unde veterum disciplinas despiciant eisque conferri merito dedignentur.

In hoc autem peccat apud Macrobium ista philosophiæ divisio, quod, a primo ingressu, non perspectum habemus quo referenda sint hæc quæ tractat de numeris. « Prima nobis, inquit (1), tractandam se ingerit pars illa de numeris, in qua sic ait (Scipio): *nam* « *cum ætas tua septenos octies solis anfractus reditusque converterit, duoque hi numeri, quorum uterque plenus, alter altera de causa habetur, circuitu* « *fatali summam tibi fatalem confecerint*, etc..... »

Unde orsus, ostendit (2) omnes numeros quodammodo plenos esse, septenarium tamen et octonarium peculiariter dici plenos; quæ proposita, licet plerumque non ad hanc philosophiæ partem, quam physicam appellat, pertinere videantur, cum in numeris idæas tantum et nomina agnoscere sit, si illos mente ab omni materia sejungas et abstrahas, non ideo tamen a naturali philosophia omnino secerni possunt, cum, in disputatione sua, vim et essentiam numeris sæpe tribuat, et illorum proprietates dinumeret quæ, intima quadam affinitate, cum geometriæ definitionibus, cum astronomiæ et musicæ legibus, simul et cum physicorum et medicorum placitis sæpius arctissime conjunguntur. Illa igitur de numeris

(1) Macr. Comm., lib. I, c. V.
(2) Macr. Comm., lib. I, c. V et VI.

placita, quæ tanti facere visus est Macrobius, quoniam neque prætermittere, neque alio rectius revocare possumus, hic summatim exponenda et exagitanda ducimus. Neque planiorem hanc doctrinam efficere tentamus, quod supra vires nostras esset, sed illam, qualem in Commentario invenerimus, exponere, ad fontes unde orta sit referre, et quem locum, tunc posteaque, in philosophia tenuerit, demonstrare suscepimus.

Plenos numeros vocat Macrobius (1), post Ciceronem, quos perfectos Augustinus et medii ævi scriptores dixerunt; docetque illorum omnium plenitudinem in hoc maxime constare quod sunt incorporales ; « sed quidam, inquit, peculiariter pleni dicun-« tur merito, qui, aut vim obtinent vinculorum, aut « corpora rursus efficiuntur, aut corpus efficiunt (2), « sed corpus quod intelligendo, non sentiendo conci-« pias. » Inde geometriæ definitiones expromit, de linea, de superficie, de solido, et ea de numerorum proprietatibus tradit, in quibus videre est quasi quoddam corpus exstare doctrinæ hujus, a qua defluunt, quæque Platonicis maxime tribuenda est. Postquam enim quasi summam hujus doctrinæ tradidit, et dixit afferri posse insuper alias causas quibus numeri pleni efficiantur, de octonario disserens : « Pythagorici

(1) Macr. Comm., lib. I, c. v.

(2) Gallice : Parties aliquotes, multiples, racines, carrés, cubes.

« *vero*, inquit, hunc numerum justitiam (1) vocave« runt. » Unde apparet ipsum aliam sectam, alios magistros secutum esse. Et qui sint illi magistri declarat locus quidam hujus dissertationis in quo ait (2) : « A lineis ascendi ad numerum tanquam ad prio« rem, » qui totus a Plotino (3) desumitur.

De septenario autem æque ac de octonario fusius et subtilius disputat, exponens quibus de causis plenus quoque jure vocetur. « Hoc transire sine admiratio« ne, ait (4), non possumus, quod duo numeri, qui, « in se multiplicati, vitale spatium viri fortis inclu« derunt, ex pari et impari constiterunt. Ita enim « vere perfectum est, quod ex horum numerorum « permixtione generatur, nam impar numerus mas « et par femina vocatur. Item arithmetici imparem « patris et parem matris appellatione venerantur. « Hinc et Timæus Platonis fabricatorem mundanæ « animæ Deum partes ejus ex pari et impari... in« tertexuisse memoravit (5) : ita ut a duplari usque « ad octo, a triplari usque ad viginti septem, staret « alternatio mutandi... » Et hic quidem dum Platonis sententiam referre videtur, multa promit quæ, non

(1) Ἔλεγον οἱ Πυθαγόρειοι δικαιοσύνην τετράδα. Plot. Enn. VI, lib. VI, p. 460, éd .Didot.

(2) Macr. Comm., lib. I, c. V.

(3) Τί γραμμή; ὕστερον μὲν ἀριθμοῦ... Plot. Enn. VI, liv. VI, § 17, p. 472; éd. Didot.

(4) Macr. Comm., lib. VI, c. VI.

(5) Conf. Tim. Plat.; éd. H. Martin, vol. I, p. 94. Τὴν δὲ ψυχὴν, κ. τ. λ.

ad verbum quidem expressa, invenimus in Timæo, quæque adeo curtata et mutata sunt in Macrobio, ut illum memoria tantum hæc tenuisse, aut e commentario quodam eruta desumpsisse arbitremur.

Tum septenarium numerum, seu de duobus et quinque, seu de tribus et quatuor, constare enuntians, horum numerorum proprietates dinumerat. Et de quinario dum disputat, nobis præclare ostendit quæ sit summa suæ philosophiæ et a quo defluat; ait enim : « *Esse* dicimus *intelligibilia* (1), *vi-* « *deri esse corporalia omnia, seu divinum corpus ha-* « *beant, seu caducum.* » Quæ quidem non Plotini sententiam tantum, sed et ipsa verba repræsentant.

Posthac, de tribus et quatuor (2) disserens, iterum Platonem, quem « ipsius veritatis arcanum » vocat, et Platonis Timæum (3), scientiæ suæ auctores affert, dum, in ipsius verbis, Platonis sententiam quidem sed non verba agnoscimus. Et cum de ipso septenario dicere aggreditur, eruditionis suæ exemplum non negligendum præbet : « Hic numerus, « inquit (4), ἑπτάς nunc vocatur, antiquato usu pri- « mæ litteræ : apud veteres enim septas vocitabatur, « quod græco nomine testabatur venerationem de- « bitam numero. Nam primo hoc numero anima

(1) Ἐν τῷ κόσμῳ τῷ νοητῷ ἡ ἀληθινὴ οὐσία. Plot. Enn. IV, lib. II, p. 193; éd. Didot.

(2) Macr. Comm., lib. I. c. VI.

(3) Conf. Plat. Tim. (H. Martin, v. I, p. 90.) Χωρισθὲν δὲ πυρὸς, κ. τ. λ.

(4) Macr. Com., lib. I, c. VI.

« mundana generata est, sicut Timæus Platonis « edocuit : Monade enim in vertice locata, terni nu« meri ab eadem, ex utraque parte, fluxerunt, ab hac « pares, ab illa impares.......... ex his numeris facta « contextio generationem animæ, imperio creatoris, « effecit. » Multis deinde admotis exemplis, septenarii vim ostendit : ab illo scilicet pendere septem sphærarum (1) cursus ; varios lunæ motus, accressus, decressusque (2); solem quoque (3) et Oceanum (4) hujus numeri rationem habere ; denique hunc numerum esse qui (5) « hominem concipi, for« mari, edi, vivere, ali, ac per omnes ætatum gradus « tradi senectæ, facit, quique (6) totius corporis « membra disponit. » Quæ omnia, confusius, copiosius aut brevius tractata, ostendunt et qualis fuerit Macrobii eruditio, et quibus e fontibus suam doctrinam hauserit. Platonicum se in his ostendit, et recentiores quidem inter Platonicos, absque dubio, referendus est. Quamvis enim Platonem et Timæum sæpe nominet, facile percepimus illa quæ tradit, a commentariis quibusdam, potius quam ab ipsius Platonis libris, desumi ; et, attentius respicientes,

(1) Macr. Comm., lib. I, c. VI. Conf. infra, lib. II. c. IV, ubi octo sphæras esse quæ moveantur docet, sed septem solum sonos esse qui concinentiam de volubilitate conficiant.

(2) Macr. Comm. lib. I. c. VI.

(3) Id. ibid.

(4) Id. ibid.

(5) Id. ibid.

(6) Id. ibid.

manifestum habuimus illa quæ de numeris, de monade, de intelligibilibus, de mundi anima retulit, a Plotino et a Porphyrio, potius quam ab ipso Timæi auctore, desumpta esse ; et, licet scripta conferendo, neque hunc neque illos ad verbum translatos fuisse in Commentario animadvertimus, secundis propior semper invenitur. Simul et vidimus illum, Plotino in hoc longe inferiorem, nihil de numerorum natura et officio disquirere aut exponere, quæ ille altius excogitaverat, sed placita tantum vulgata, usuque et opinione accepta, potius quam ratione exagitata et probata, tradere. Quin et deprehendimus quam subtilius disserat de vi quam numeris tribuit, quam falso judicet de his quibus innititur, et quantum ipsa rerum observatione decipiatur : ita, exempli gratia, de angulis disputat (1) ut angulos, quos planos appellamus, cum his, quos solidos dicimus, confundere videatur ; dum Hippocratis sententia utitur (2), alia ac ipse Hippocrates exponit ; de quatuor elementis (3), de Oceani incremento (4), de hominis corpore (5), veteres secutus, falsa refert, quibus ut veris innititur.

Illa vero doctrina, quam inanem hic et vana effutientem invenimus, Platonica omnis exstitit, si Macrobii testimonio credimus ; et, si illam de-

(1) Macr. Comm. lib. I, c. v.
Macr. Comm. lib. I, c. vi. (Vid. Jan. p. 51, n. 64.)
(3) Id. ibid.
(4) Id. ibid.
(5) Id. ibid.

finire nequimus quæ omnem definitionem effugit, quæque nihil habet apud recentes cum quo conferri possit, illam saltem omnibus philosophiæ partibus immixtam et intima affinitate conjunctam cernimus, et pervulgatam magnique æstimatam ad id temporis fuisse comperimus. Cujus quidem rei testem, præter Macrobium, Augustinum apud Christianos habemus : legentibus enim nobis ea quæ apud Macrobium de septimo et octonario numero reperiuntur, succurrunt et illa quæ de senario Augustinus (1) scripsit : « Hæc « autem (2) propter senarii numeri perfectionem..... « sex diebus perfecta narrantur : non quia Deo neces- « saria fuerit mora temporum,..... sed quia per sena- « rium numerum est operum significata perfectio. « Numerus quippe senarius primus completur suis « partibus, id est ex sexta sui parte, et tertia, et dimi- « dia ; quæ sunt unum, et duo, et tria, quæ in sum- « mam ducta, sex fiunt. Partes autem in hac conside- « ratione numerorum intelligendæ sunt, quæ quotæ « sint dici potest : sicut dimidia, tertia, quarta, et « deinceps ab aliquo numero denominatæ. Neque « enim, exempli gratia, quia in novenario numero qua- « tuor pars aliqua ejus est, ideo dici potest quota (3) « ejus sit : unum autem potest, nam nona est ejus ; et « tria potest, nam tertia ejus est. Conjunctæ vero istæ

(1) Aug. De Civit. Dei, lib. XI, c. xxx.
(2) De mundi creatione.
(3) Gallice : partie aliquote.

« duæ partes ejus, nona scilicet atque tertia, id est « unum et tria, longe sunt a tota summa ejus, quod « est novem. Itemque in denario quaternarius est « aliqua pars ejus, sed quota sit dici non potest : « unum autem potest ; nam decima pars ejus est. « Habet et quintam, quod sunt duo : habet et dimi- « diam, quod sunt quinque. Sed hæ tres partes ejus, « decima et quinta et dimidia, id est unum et duo et « quinque, simul ductæ non complent decem : sunt « enim octo. Duodenarii vero partes numeri, in sum- « mam ductæ, transeunt eum : habet enim duodeci- « mam, quod est unum ; habet sextam, quæ sunt duo ; « habet quartam quæ sunt tria ; habet tertiam quæ « sunt quatuor ; habet et dimidiam, quæ sunt sex : « unum autem et duo et tria et quatuor et sex, non « duodecim, sed amplius, id est sexdecim fiunt. Hoc « breviter commemorandum putavi ad commendan- « dam senarii numeri perfectionem, qui primus, ut « dixi, partibus suis in summam redactis ipse perfi- « citur : in quo perfecit Deus opera sua. Unde ratio « numeri contemnenda non est, quæ, in multis sanc- « tarum scripturarum locis, quam magni æstimanda « sit elucet diligenter intuentibus. Nec frustra in « laudibus Dei dictum est : *Omnia in mensura et* « *numero et pondere disposuit.* »

Definita magis ista Augustini, et quæ arithmetica tantum ratione constant, licet æque inania, ostendunt tamen magni tum momenti fuisse, et magnum

apud philosophos locum tenuisse, illam de numerorum plenitudine aut perfectione doctrinam, quæ maxime et in medio ævo, ab iisdem fontibus decurrens, a Petro Abælardo commendatur (1).

His de numerorum doctrina et usu expositis, si ad alia transimus, quæ manifestius ad naturalem philosophiam pertinent, prope istis similia observabimus. Nec a numeris omnino adhuc recedemus, cum nos Macrobius « concentum quemdam motu cœlestium « corporum effici, » cum « quo modo ratio hujus con- « centus a Pythagora fuerit deprehensa », et, « qui « numeri sint consonantiis musicis apti » docebit. Platonem quippe et Platonicos iterum secutus, exponet quem in modum anima mundi ex numeris fabricata fuerit, unde probari potest etiam concentum quemdam esse cœlestium corporum : « In cœlo, inquit (2), « constat nihil fortuitum, nihil tumultuarium acci- « dere, sed universa illic divinis legibus et stata « ratione procedere; quia et sonum ex motu fieri « necesse est, et ratio, quæ divinis inest, fit sono « causa modulaminis. » Pythagoram inde primum apud Græcos ista invenisse et intellexisse narrat, experientiam malleorum referens, qua numeros deprehendit « ex quibus soni sibi consoni nasceren- « tur. » Multa deinde disserit de musicorum sonorum intervallis (3), in quibus Pythagoricos et Platonicos

(1) Petr. Abæl. Introd. ad. Theol., p. 40. (Pars poster. Paris, 1849.)
(2) Macr. Comm. lib. II, c. I.
(3) Id., ibid.

auctores ipse testatur habuisse (1). Sed certius id et manifestius patet in his quæ sequuntur de cœlestium corporum concentu : « Hinc Plato (2), postquam, et « Pythagoricæ successione doctrinæ, et ingenii pro- « prii divina profunditate, cognovit nullam esse « posse sine his numeris jugabilem competentiam, « in Timæo suo mundi animam per istorum nume- « rorum contextionem ineffabili providentia Dei « fabricatoris instituit, etc..... » Ubi postquam multa memoravit de arithmeticis aut geometricis definitionibus, quæ jam supra et rectius quidem protulerat, locum Timæi Platonis de mundi creatione, partim e Timæo ad verbum expressum, partim e commentariis erutum, enuntiat, a quo « animam mundi, nu- « meris contextam idoneis, musicos sonos efficere « affirmat, » et concludit dicendo « Tullium in ver- « bis suis (3) ostendisse Platonici dogmatis profun- « ditatem. »

Quod si credimus Ciceronem non ita Platonica dogmata aut recipere aut docere voluisse, ista saltem nobis ostendunt quam habuerit et tradiderit doctrinam Macrobius. A se Platonem et Platonis commentarios prolatos fuisse, ipse in his testatur. Nec non infra manifestius declarat quos habeat scientiæ suæ auctores, cum dicit (4) : « Hanc Platonicorum per-

(1) Macr. Comm. lib. II, c. I.
(2) Id. ibid.
(3) Id. ibid. Qui est qui complet aures meas tam dulcis sonus, etc.
(4) Macr. Comm. lib. II, c. III.

« suasionem Porphyrius libris suis inseruit, quibus « Timæi obscuritatibus nonnihil lucis infudit... Unde « ex omni parte docta et perfecta est Ciceronis « assertio, qui, intervallis imparibus, sed tamen pro « rata parte distinctis, cœlestem sonum dicit esse « disjunctum. »

Quæ hic, de musica et de sphærarum concentu, scripsit Macrobius, scientiæ veteris compendium quoddam et specimen præbent, per quæ æstimare possumus ista, a Pythagoræ temporibus ad medii ævi tempora, nihil aut parum profecisse, et ad Scholasticos meavisse, neque clariora neque absolutiora quam quæ a pristinis philosophis inventa fuerant. Et si ista, falsa sæpius et imperfecta, tam diu pro veris et absolutis accepta fuerunt, non est quod miremur, quoniam, ipsa harum doctrinarum expositione, didicimus inventa et placita ista a fortuita tantum observatione processisse, et scientiam quam constituunt absque omni methodo semper exstitisse.

Quod ad cœli et terræ descriptionem attinet, orsus ab his Ciceronis (1) : « Erat autem is splendidissimo « candore inter flammas circus elucens, quem vos, ut « a Graiis accepistis, orbem lacteum nuncupatis, » multa percurrit Macrobius, de undecim circulis cœlum ambientibus (2), de lacteo orbe (3), de variis

(1) Macr. Comm., lib. I, c. XV.
(2) Id. ibid. ibid.
(3) Democriti opinionem refert, de lacteo orbe, recentiorum placitis omnino consentaneam.

solis defectibus et lunæ laboribus (1), in quibus veram rerum quas tractat scientiam profert, et dignus apparet qui his de rebus legatur. Dein, falsa veris commiscens, quærit : qui fiat ut quædam stellæ nunquam a nobis adspiciantur, et quanta sit stellarum omnium magnitudo (2); quamobrem cœlum semper et in orbem moveatur ; quo sensu summus vocetur Deus, et ecquid stellæ quas fixas vocant suo etiam proprioque motu agantur (3); cur stellæ errantes contrario quam cœlum motu versentur (4); quem Cicero et quem Plato soli, inter errantes stellas, assignaverint ordinem; cur luna lumen suum mutuetur a sole, sicque luceat ut tamen non calefaciat; unde sideribus nomina, et cur stellarum errantium, aliæ adversæ nobis sint, aliæ propitiæ (5); denique de diversis nominibus solis, deque ejusdem magnitudine (6). Quæ quidem omnia plurimum conferunt ad veterum de his scientiam ediscendam, et huic nostræ, quam astronomiam, ceu cosmographiam, diximus, comparandam. Sed neque nobis ea mens est ut veterum disciplinarum historiam scribere adoriamur, neque commentario Commentarium omne prosequi voluimus, sed, a proposito nostro non declinantes, in illis præcipue im-

(1) Macr. Comm. lib. I, c. xv.
(2) Id. ibid. lib. I, c. xvi.
(3) Id. ibid. lib. I, c. xvii.
(4) Id. ibid. lib. I, c. xiii.
(5) Id. ibid. lib. I, c. xix.
(6) Id. ibid. lib. I, c. xx.

morabimur quæ, inter hæc, ab Alexandrinis mutuatus est Macrobius. Ipsum autem Plotini doctrinam secutum esse manifestum est, cum scripsit : « Versari cœlum, mundanæ animæ (1) natura, et vis, et « ratio docet, etc..... Hæc de cœlestis volubilitatis « arcano, pauca de multis, *Plotino auctore reperta*, « sufficiant. » Et illa reipsa quæ tradit, in secundo libro secundæ Enneadis (2) invenimus, alias fusius, alias pressius explicata, sed in eamdem sententiam cadentia, et quæ sæpius ad verbum translata agnoscimus. Nec aliter, cum stellarum « alias prosperas, « alias adversas esse, » non recte credi demonstrat, doctrinam profert quam in tertio libro secundæ Enneadis, et multis in locis latius explicatam apud Plotinum, Macrobio ipso indice, reperimus : « (3) Cur « ipsi (Mars et Saturnus) opes vel claritatem homi- « nibus præstare credantur, ad alterum debet per- « tinere tractatum ; quia hic sufficit aperuisse ratio- « nem, cur alia terribilis, alia salutaris existimetur. « Et *Plotinus* quidem, *in libro* qui inscribitur : « *Si faciunt astra*, pronuntiat, nihil vi vel potes- « tate eorum hominibus evenire ; sed ea, quæ de- « creti necessitas in singulos sancit, ita per horum « septem transitum, stationem, recessumve mons- « trari, ut aves seu prætervolando, seu stando, futura,

(1) Macr. Comm., lib. I, c. XVII.

(2) Vid. Creuzer; ed. Didot. Plot. Enn. II, lib. I, p. 51, 52, 53, passim et lib. II, p. 58. — Vid. Bouillet, Plot., t. I, p. 150.

(3) Macr. Comm., lib. I, c. XIX.

« pennis vel voce, significant nescientes. Sicquoque « tamen jure vocabitur hic salutaris, ille terribilis, « cum per hunc prospera, per illum significentur « incommoda. »

Non absurdum credimus istis, quæ a Plotino accepta tradit Macrobius, ea quæ apud Augustinum eodem tempore disputabantur, conferre : « Illi, in-« quit (1), qui sine voluntate Dei decernere opinan-« tur sidera quid agamus, vel quid bonorum habea-« mus malorumve patiamur, ab auribus omnium re-« pellendi sunt ; non solum eorum qui veram religio-« nem tenent, sed qui Deorum qualiumcumque, licet « falsorum, volunt esse cultores. Quod si dicantur « stellæ *significare* ista potius quam facere ; ut quasi lo-« cutio quædam sit illa positio, prædicens futura, non « agens (non enim mediocriter doctorum hominum (2) « fuit ista sententia)... qui fit cur in vita geminorum... « atque in ipsa morte, sit plerumque tanta diversitas... « ut similiores eis sint, quantum ad hoc attinet, multi « extranei, quam ipsi inter se gemini, perexiguo tem-« poris intervallo in nascendo separati, in conceptu « autem per unum concubitum, uno etiam momento « seminati ? »

Ex ista utriusque auctoris comparatione, manifestum apparebit eamdem de astrorum significatione doctrinam, eodem tempore, ab iisdem fonti-

(1) Aug. De Civit. Dei, lib. V, c. I.
(2) Plotinum et Alexandrinos designat.

bus desumptam, Macrobium accepisse et tradidisse, Augustinum vero dijudicavisse et exagitavisse.

Sed longius forsan a Macrobio deflectimus, inquirentes quomodo ea, quæ a Plotino mutuatus est, ad Christianos et ad medii ævi scriptores, Platonicæ sectæ nomine commendata, devenerint. Ad illum reversi, non aliter etiam deprehendemus quos auctores secutus sit, cum, de principatu solis disserens, scripsit: « In his « tot nominibus, quæ de sole dicuntur, non frustra, « nec ad laudis pompam, lascivit oratio; sed res veræ « vocabulis exprimuntur. » Manifestum est enim illum Porphyrii et Platonicorum sententiam proferre, quam copiosius et melius in Juliani imperatoris oratione de sole rege expositam legimus. Et dum hæc conferebamus, non potuimus non animadvertere auctorem nostrum non tantum alienam doctrinam alienaque verba, sed et sententiam verbaque sua de his iterum protulisse. Scripsit enim in Saturnalibus (1):

« Cave existimes, mi Aviene, poetarum gregem « cum de Diis fabulantur, non ab adytis plerumque « philosophiæ semina mutuari. Nam quod omnes « pæne Deos duntaxat qui sub cœlo sunt, ad solem « referunt, non vana superstitio, sed ratio commen« dat. Si enim *sol, ut veteribus placuit, dux et mo« derator est luminum reliquorum*, et solus stellis

(1) Macr. Saturn., lib. I, c. XVII et seq.

« errantibus præstat; ipsarum vero stellarum cur-
« sus, ut quibusdam videtur, pro potestate disponunt,
« vel, ut *Plotino* constat placuisse, significant : ne-
« cesse est ut solem, qui moderatur nostra mode-
« rantes, omnium quæ circa nos gerantur fateamur
« auctorem... Et hinc natæ sunt appellationes
« Deorum, sicut cæterorum, qui ad solem certa et
« arcana ratione referuntur. »

Eodem sensu, eisdemque ferme verbis, solem recte ducem et moderatorem cœli nominari demonstravit, in Commentario Somnii Scipionis (1); unde existimari potest illum memoria potius quam excogitatione in his usum esse, et, velut speculum quoddam, aliena reddidisse, quæ vulgo apud Hellenas disputabantur, quæque, paulo ante Macrobii tempora, Juliani imperatoris oratione, docte et clare illustrata fuerant.

Plurima præterea ad geographiam pertinentia tractat, quæ huic sententiæ Somnii Scipionis consentiunt (2) : « Vides habitari in terra raris et angustis « locis, etc. » Et, licet de geographia, sicut et de astronomia, nihil doceat quod a communibus veterum notionibus aut erroribus recedat, multa tamen hic magni momenti invenias, ad scientiæ historiam ediscendam et constituendam. Sed non nostræ provinciæ est dignoscere quid recentior scientia in Macrobio exagitare aut probare possit; ea tantum

(1) Macr. Comm. lib. I, c. xx.
(2) Id. ibid. lib. II, c. v.

proferre in lucem voluimus, quæ mutuatus et commentatus sit, de hac philosophiæ parte, quam naturalem nominat. Et, licet nos aliquoties de sua ipsius sententia suspensos reliquerit, inquirentes utrum quæ tractavit clare satis intellexerit, an quæ intellexit clare satis exposuerit, tamen, postquam ea evolvimus quæ de numeris, de geometriæ definitionibus, de mundi origine, anima et ordine, de musica, de sphærarum concentu, de solis principatu, denique de cœli et terræ descriptione, tradidit, nobis liquido constitit illum Alexandrinos, præcipueque inter illos Plotinum et Porphyrium, cognovisse, et, quamvis Platonem sæpe nominet, non ipsum Platonem, sed Platonis commentarios in memoria aut ante oculos habuisse, quos philosophiæ suæ auctores teneret et sequeretur. Illud autem scire et monstrare, si parvi per se æstimetur, non obliviscamur oportet auctorem nostrum in medii ævi confinio positum esse, quod dubia illa luce, a Platonicis mutuata, illustrat, cum sequentium temporum lux a Christianis, præcipueque ab Augustino et a Boethio, oriatur. Nonnullius igitur momenti est istos inquirere profanæ philosophiæ fontes, lutulentos sane, sed Scholasticis notissimos, et a quibus veterum disciplinarum elementa et notiones hauserunt, quæ a Platone ipso sæpius defluere arbitrabantur. Duo sunt præterea quæ nobis, in hac naturalis philosophiæ apud Macrobium disquisitione, succurrunt :

unum quod ista rudis scientiæ elementa, adeo observatione, ordine, et methodo carent, ut, inventis nostris vix conferri possint, nosque merito et gloriari, et spes nostras in immensum, de his, efferre videamur; alterum, quod, christiani, sicut et profani auctores, pleraque horum placitorum pro compertis habebant, quæ medii ævi scientiam pæne omnem constituerunt.

VI.

Quid docuerit Macrobius de rationali philosophia.

Quod ad illam philosophiæ partem spectat quam rationalem nominavit Macrobius, in ea inquiremus quid de Deo, de anima mundi, de anima humana, de ejus immortalitate, de inferis, de mundi æternitate docuerit, Platonicos secutus. Memoremus autem necesse est quædam ab eo jam antea de Deo delibata esse, cum, de numeris disputans, scriberet (1) : « *Esse* dicimus *intelligibilia*, *videri esse corporalia* « *omnia*, seu divinum corpus habeant, seu cadu- « cum. » Et alias, de monade disserens et Platonicorum opinionem referens (2) : « Hæc monas (3) « initium finisque omnium, neque ipsa principii aut « finis sciens, ad summum refertur Deum, ejusque « intellectum a sequentium numero rerum et potes- « tatum sequestrat : nec in inferiore post Deum

(1) Macr. Comm. lib. I, c. VI.
(2) Id. ibid. lib. I, c. VI.
(3) Synes. Hymn. I : Μονάδων μονὰς πρώτη... Μονὰς ἀῤῥητα χυθεῖσα .

« gradu eam desideraveris. Hæc illa est mens ex « summo enata Deo, quæ, vices temporum nesciens, « in uno semper, quod adest, constitit ævo ; cumque, « utpote una, non sit ipsa numerabilis, *innumeras « tamen generum species, et de se creat, et intra se « continet* (1). »

Non constat profecto Macrobium recte intellexisse hæc quæ de monade profitetur, cum non clare satis appareat summumne Deum hoc nomine solum designaverit, qui summi Dei intellectum simul hoc eodem nomine designare videtur, si bene illum ipsi intelleximus. Aliqua igitur inde nascitur confusio inter duas e tribus personis, quas in Deo distinctas esse infra affirmabit. Non potuimus autem non animadvertere hanc mentem divinam *innumeras generum species et de se creare et intra se continere*. Id enim quod hic his verbis enuntiatum et affirmatum invenimus, præclare postea a Scholasticis disputatum et exagitatum videmus, et illius erroris semina agnoscimus qui Realismi et Pantheismi posterius nomine designabitur. Platonica igitur illa opinio ad medii ævi philosophos Macrobii Commentario delata est, et scholasticæ disputationis origo fieri potuit æque ac illa inclyta Porphyrii quæstio (2), quæ a Boethio in linguam latinam translata et explicata fuit.

(1) Macr. Comm., lib. I, c. VI.
(2) De hoc vid. Cousin : opera Abælardi inedita, introd. p. LVI et seq. Paris, 1836 ; et Hauréau : De la Philosophie scolastique, p. 30 et suiv. Paris, 1850.

Quin et, de numeris disserens, eumdem Deum mundanæ molis artificem conditoremque nobis ostendit (1), cujus nomen, vim et operam a Platonicis commentariis desumpsit et expressit. Sed illum præcipue Alexandrinorum doctrinam sequi, cum de Deo loquitur, testatur locus in quo, velut per compendium quoddam, tres Plotini ὑποστάσεις refert (2) : « Deus, qui prima causa est et vocatur, unus om- « nium, quæque sunt, quæque videntur esse, prin- « ceps et origo est. Hic, superabundanti majestatis « fecunditate, de se mentem creavit. Hæc mens quæ « νοῦς vocatur (3), qua patrem (4) inspicit, plenam « similitudinem servat auctoris ; animam vero de se « creat, posteriora respiciens. Rursus anima partem « quam intuetur inducitur, ac, paulatim regrediente « respectu in fabricam corporum, in corporea ipsa « degenerat. Habet ergo et purissimam ex mente, « de qua est nata, *rationem*, quod λογικόν (5) voca- « tur; ex sua natura accipit *præbendi sensus præ- « bendique incrementi seminarium* : quorum unum « αἰσθητικόν, alterum φυτικόν nuncupatur. Sed ex his « primum, id est λογικόν, quod innatum sibi ex mente

(1) Macr. Comm. lib. I, c. VI.

(2) Id. ibid. lib. I, c. XIV.

(3) Ψυχῇ δὲ τὸ ζῆν, τῇ μὲν πρώτῃ τῇ μετὰ νοῦν... ἔχοι δ'ἂν τὸ ἀγαθὸν, ε πρὸς ἐκεῖνο βλέποι· νοῦς δὲ μετὰ τἀγαθόν. (Plot. Enn. I, lib. VI, p. 38; éd. Didot.)

(4) De hoc vid. C. Lévêque, Étude de Philos., p. 312 et 313. Paris, 1864.

(5) Vid. Plot. Enn. V, lib. III, p. 311 et 312 passim; ed. F. Didot.

« sumpsit, sicut vere divinum est, ita solis divinis « aptum ; reliqua duo, αἰσθητικόν et φυτικόν, ut a di- « vinis recedunt, ita convenientia sunt caducis. « Anima ergo, creans condensque corpora, ex illo « mero ac purissimo fonte mentis, quem nascendo « de originis suæ hauserat copia, corpora illa divina « vel supera, cœli dico et siderum, quæ prima con- « debat, animavit. » Haud alio sensu alias scripse- rat (1) : « Quod autem hunc extimum globum « summum vocavit [Cicero], non ita accipiendum « est ut ipse prima causa et Deus ille omnipotentis- « simus existimetur : cum globus ipse, quod cœlum « est, *animæ sit fabrica; anima ex mente proces-* « *serit; mens ex Deo, qui vere summus est*, pro- « creata sit. »

Obscura hæc per se, et alte recondita, obscuriora sane effecit Macrobius ; sed quis Enneadum fontem (2) hic non agnoscat, a quo defluxerunt? De Deo cursim tantum et summatim loquitur, Ciceronis sententiam de numeris, de anima mundi aut hominis mente explicaturus, nec satis præbet ansam judicandi num omnem mente complexus sit doctrinam quæ, sub ὑποστάσεων nomine, tantum apud Platonicos obtinuit locum; sed tamen in his quæ de Deo attigit, non aliud reperire est quam hujus doctrinæ summarium quod-

(1) Macr. Comm. lib. I, c. XVII.

(2) Vid. Bouillet, Enn., I, liv. VII, p. 115, t. I et notes p. 386. Vide etiam. Enn. V, liv. I, p. 31 et seq., et p. 570 et seq.

dam, et placita quæ apud Plotinum, Porphyrium, cæterosque ejus sectæ, disputata invenimus.

Si plura de Deo invenire in Somnii Scipionis Commentario desideramus, non obliviscamur oportet ista tantum illic incidere, cum inquirit quo sensu cœlum summus vocetur Deus, cur mundus hic universus Dei vocetur templum, et quomodo mens hominis cum sideribus communis esse dicatur. Multa vero, de hominis mente, de animæ natura et immortalitate commemorat, et, Platonicis instructus argumentis, explicat, quæ jam in lucem proferre aggrediemur.

Expposituri autem illius disputationem de anima humana, non absurdum et inutile credimus omnium sententias (1) qui de anima videntur pronuntiasse ante illum, Macrobio ipso auctore (2), referre. Inde enim patebit illum neque scientia, neque judicio caruisse in hac quæstione, quæ maxime ad summum Commentarii propositum pertinet. « Plato dixit (3) ani-
« mam essentiam se moventem, Aristoteles (4) ἐντε-
« λέχειαν, Pythagoras et Philolaüs (5) harmoniam,
« Posidonius (6) idæam, Asclepiades (7) quinque sen-

(1) Conf. Cic. Tuscul. I, 9; De Divin. II, 15; De nat. Deor. II, 12, 32; De Senect., 21, 76.

(2) Macr. Comm. lib. I, c. XIV.

(3) Conf. Plat. Phædrum, et quæ infra hic de spontaneo animæ motu disputata sunt.

(4) De an. II, 1, vid. et Plutarch. de an. procr. I.

(5) Vid. Sext. Emp. adv. mathem., lib. VII. Iamblichi vita Pythag. Diog. Laert. VIII. Vid. et quæ disputat Macrobius, Comm. lib. II, c. III.

(6) De Posidonii sententia conf. Brucker, Phil. Hist. crit., v. I, p. 1046, unde apparet ejus doctrinam non multum a Pythagora distare.

(7) Conf. Plutarch. de an. procr.

« suum exercitium sibi consonum, Hippocrates (1) « spiritum tenuem per corpus omne dispersum, He- « raclides Ponticus (2) lucem, Heraclitus physicus (3) « scintillam stellaris essentiæ, Zenon (4) concretum « corpori spiritum, Democritus (5) spiritum inser- « tum atomis, hac facilitate motus ut corpus illi « omne sit pervium, Critolaus peripateticus (6) con- « stare eam de quinta essentia, Hipparchus (7) ignem, « Anaximenes (8) aera, Empedocles (9) et Critias « sanguinem, Parmenides (10) ex terra et igne, Xe- « nophanes (11) ex terra et aqua, Boethus ex aere et « igne, Epicurus (12) speciem ex igne et aere et spi- « ritu mixtam. » Et postquam veterum opiniones, quarum plerasque apud Iamblichum (13) disputatas invenimus, in unum sic contulit, adjecit continuo : « Obtinet (14) tamen non minus de ejus incorruptibi- « litate quam de immortalitate sententia. » Unde vi- dere licet ipsum a veterum placitis recentiorem doc-

(1) De Hipp. sent. vid. Brucker, v. I, p. 1226 de sect. Heracl.
(2) De Heracl. Pont. conf. Diog. Laert., V, 86.
(3) De Heracl. Phys. vid. Plutarch. an. procr. et Brucker, v. I, p. 1214.
(4) Vid. Brucker, Hist. crit. Phil., v. I, p. 950.
(5) Vid. Arist. de an. I, 2.
(6) Vid. Stobæi eclog. phys. I, 2.
(7) Vid. Bruck., v. I, p. 1102.
(8) Vid. id., v. I, p. 1104.
(9) Vid. id., v, I, p. 1113.
(10) Vid. id., v. I, p. 1164.
(11) Vid. id., v. I, p. 1147.
(12) Vid. Plutarch. de an. procr. 3. Diog. Laert. X, 63. Lucret., III, 333.
(13) Vid. Iambl. Tract. de an. Vid. Bouillet de ess. an. p. 626 et seq., t. I, Enn. Plot. transl.
(14) Id est prævalet.

trinam sejunxisse, quam amplexus est, et in qua præcipue immortalitatem animæ, a veteribus et a recentioribus probatam, expromere et explicare voluit. Quod si autem quæ censet ipse de animæ natura, non ex professo enuntiat, indicat tamen qualem habuerit de hoc doctrinam, et a quibus illam sumpserit. De ternario enim numero disserens, ait (1) : « Ternarius vero assignat animam tribus suis parti« bus absolutam. Quarum prima est ratio, quam λο« γιστικόν appellant; secunda animositas, quam θυμι« κόν vocant : tertia cupiditas, quæ ἐπιθυμητικόν nun« cupatur. » Quamvis autem Pythagoreos imprimis ternariæ hujus divisionis auctores afferat, non nos fugit tres illas animæ partes, seu potius facultates, a Plotino (2), a Porphyrio (3), præcipueque ab Iamblicho (4) nominatas, definitas explicatasque fuisse. Sed et manifestius quam sententiam secutus sit, de animæ natura et origine, testatur locus ubi latius disserit quomodo mens homini cum sideribus communis esse dicatur (5). Ibi enim, postquam de Deo et de anima mundi hæc disputavit quæ supra retulimus : « Anima ergo, creans condensque corpora, « ait (6) (nam ideo ab anima natura incipit, quam sa« pientes de Deo et mente νοῦν nominant), ex illo mero

(1) Macr. Comm. lib. I, c. VI.
(2) In prima Enn., lib. II, et in quarta passim.
(3) De anim. tract.
(4) De anim. tract.
(5) Macr. Comm. lib. I, c. XIV.
(6) Id. ibid. lib. I, c. XIV.

« ac purissimo fonte mentis, quem nascendo de ori-
« ginis suæ hauserat copia, corpora illa divina vel
« supera, cœli dico et siderum, quæ prima conde-
« bat, animavit : divinæque mentes omnibus corpo-
« ribus, quæ in formam teretem, id est, in sphæræ
« modum, formabantur, infusæ sunt..... In inferiora
« vero ac terrena degenerans, fragilitatem corporum
« caducorum deprehendit, meram divinitatem men-
« tis sustinere non posse, imo vix partem ejus solis
« humanis corporibus convenire : quia et sola viden-
« tur erecta, tanquam quæ ad supera ab imis rece-
« dunt, et sola cœlum facile, tanquam semper erecta,
« suspiciunt (1); solisque inest vel in capite sphæræ
« similitudo, quam formam diximus solam mentis
« capacem. Soli ergo homini rationem, id est, vim
« mentis infudit, cui sedes in capite est; sed et ge-
« minam illam *sentiendi crescendique* naturam, quia

(1) Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit... Ov. Met., l. I, v. 84.

Conf. Bernardi Silvestris Microcosm. :

. . . . Fiet homo,
Qualis ab æterno, sub mundo principe, vivit,
Digna nec inferior mentis idæa meæ.
Mentem de cœlo, corpus trahet ex elementis.
. . . .
Cum superis commune bonum rationis habebit.
. . . .
Sed majestatem mentis testante figura,
Tollet homo sacrum solus ad astra caput.
Sed cum nutarit, numeris in fine solutis,
Machina corporeæ collabefacta domus,
Æthera scandet homo, jam non incognitus hospes,
Præveniens stellæ signa locumque suæ.

« caducum est corpus, inseruit. Et hinc est quod « homo et rationis compos est, et sentit, et crescit, « solaque ratione meruit præstare cæteris animali- « bus : quæ quia semper prona sunt, et ex ipsa « quæque suspiciendi difficultate a superis recesse- « runt, nec ullam divinorum corporum similitudi- « nem aliqua sui parte meruerunt, nihil ex mente « sortita sunt, et ideo ratione caruerunt : ..... Hunc « verum ordinem et Virgilius expressit (1). Nam et « mundo animam dedit, et, ut puritati ejus attesta- « retur, mentem vocavit. Cœlum, ait, et terras, et « maria et sidera spiritus intus alit, id est, anima.... « Et ut illius mundanæ animæ assereret dignitatem, « mentem esse testatur :

Mens agitat molem;

« nec non, ut ostenderet ex ipsa anima constare et « animari universa, quæ vivunt, addidit :

Inde hominum pecudumque genus,

« et cætera. Utque assereret, eumdem semper esse « in anima vigorem, sed usum ejus hebescere in « animalibus, densitate corporis, adjecit :

Quantum non noxia corpora tardant,

« et reliqua.....

« His ergo dictis, solum homines constat, ex terre- « nis omnibus, mentis, id est animi, societatem cum « cœlo et sideribus habere communem. »

Non aliter de his Plotinum censuisse videmus ex

(1) Virg. Æneid. lib. VI, v. 727 et seq.

his quæ disserit in quarto tertiæ Enneadis libro (1), ubi dicit animas humanas mundanæ animæ partem aliquam esse, illasque, prout rationem plusve minusve coluerint, in sole aut in sideribus habitare.

Hanc quidem doctrinam apud Platonicos, magna pro parte, invenire erat, quam clare in Somnio Scipionis Cicero exposuit (2) : « Tu vero... sic habeto : « non esse te mortalem, sed corpus hoc. Nec enim « tu is es quem forma ista declarat : sed mens cu- « jusque is est quisque, non ea figura quæ digito de- « monstrari potest. *Deum igitur te esse scito :* siqui- « dem est Deus qui viget, qui sentit, qui meminit, qui « providet, qui tam regit, et moderatur, et movet id « corpus, cui præpositus est, quam mundum ille « princeps Deus : et, ut ille mundum, quadam parte « mortalem, ipse Deus æternus, sic fragile corpus « animus sempiternus movet. » Sed hanc doctrinam apud Alexandrinos hauserat Macrobius quam, Alexandrinis placitis instructus, explicat vel potius diluit :

« Quia Tullio mos est, ait (3), profundam rerum « scientiam sub brevitate tegere verborum, nunc « quoque, miro compendio, tantum concludit arca- « num, quod *Plotinus*, magis quam quisquam verbo- « rum parcus, libro integro (4) disseruit, cujus in-

(1) Plot. Enn. III, lib. IV, p. 139 (ed. Didot), passim et p. 142 : Αἱ μὲν οὖν (ψυχαὶ) ἐν αἰσθητῷ, ἢ ἐν ἡλίῳ, ἢ ἐν ἄλλῳ τῶν πλανωμένων...

(2) Macr. Comm., lib. II, c. XII.

(3) Id., ibid., lib. II, c. XII.

(4) Plot. Enn. I, lib. I passim. Inter hæc quædam ad verbum translata sunt : Ἡδοναὶ καὶ λῦπαι φόβοι τε, κ. τ. λ.

« scriptio est, quid animal : quid homo....., pro-
« nuntiat animal esse corpus animatum..... Ideo
« physici *mundum magnum hominem*, et *hominem*
« *brevem mundum* (1) esse dixerunt..... »

Ex hac Commentarii parte, magis quam ex quavis alia, liquido constare arbitror quibus e fontibus et qua ratione philosophiam suam hauserit et tradiderit Macrobius. Multa legit, multa et memoria tenuit, quæ, nec satis meditatione et cogitatione concocta, sua effecit ; illa vero curtata depromit, prout res postulat, et auctoris quem sequitur sensum potius quam verba ipsa refert. Sensus autem ab aliis acceptos non tam dijudicare quam transmittere cordi habet, et sic, auctoritatem quamdam philosophicæ traditionis, aut constituere, aut constitutam accipere videtur. Non enim ratione et via, aut proprio intuitu, sicut Platonici ; non dialectica et observatione, sicut Peripatetici ; non divina auctoritate, sicut Christiani, nititur. Magistrorum auctoritatem sequitur, nullius methodi conscius ; non disquirit et dijudicat, sed reperta accipit et tradit ; in quo sane maxime periclitatur philosophia, dum sic dogmata quædam constituuntur et velut inconcussa stabiliuntur.

Id autem Macrobio soli vitio vertendum non credimus, sed Alexandrinorum potius methodo, qui res et

(1) Hinc originem duxisse arbitramur Bernardi Silvestris opus, quod inscriptum est : Megacosmus et Microcosmus, et in quo omnia Macrobianam doctrinam et linguam sonant. Vid. Cousin, Abæl. op. ined., Paris. 1836, p. 627 et seq.

rerum naturam, intuitu et divina quadam communicatione, noscere profitebantur. Ratione enim quamvis utentes, rationem dedignabantur et vim omnem et auctoritatem divinæ mentis sibi tribuebant, cujus participes se fieri posse jactabant.

Quos vero magistros sequatur, nusquam alias clarius ostendit quam cum de anima loquitur. Seu enim Plotinum et Platonicos nominet, seu de illis sileat, in eorum placitis semper immoratur, eorumque doctrinam propagare et defendere adoritur. Nec mirum id habendum est, cum sit illius propositi summa, ut animæ originem et immortalitatem demonstret, idque eo tempore aggrediatur quo undique, aut apud Hellenas aut apud Christianos, easdem doctrinas maxime vulgatas animadvertimus.

Quanti autem æstimati tum fuerint Platonici apud Christianos, et quomodo hæc, quæ de Deo et de anima mundi apud Macrobium invenimus, ab Augustino exagitata, et ab Abælardo laudata et per involucrum de Spiritu sancto accepta fuerint, postea exponemus, quum illa omnia quæ ad rationalem philosophiam pertinent, apud Macrobium recensuerimus, et summatim protulerimus. Non parvi autem id laboris est, quum omnes, apud nostrum, philosophiæ partes confundantur, et inextricabili quodam nodo sæpe vinciantur. Quin a Somnii Scipionis proposito et verbis sæpe deflectit Commentarius, multaque supra vidimus, a Macrobio disputata, quæ ab

operis ejus summa recedunt; sed quia jam ad illa devenimus quæ de vita, de morte, de inferis, de immortalitate disseruit, in his paulisper immorabimur, ut omnem ejus de hac quæstione, quæ primas tenere debet, opinionem explicemus.

Animas ait (1) de cœlo originem ducere, illudque, « inter recte philosophantes, indubitatæ esse « scientiæ. » Perfecta igitur animæ sapientia in hoc consistit ut « de quo fonte venerit semper agnoscat... « Unde a poeta dici potuit :

De cœlo descendit γνῶθι σεαυτόν (2).

« ...Sic enim anima virtutes ipsas, conscientia nobili« tatis, induit, quibus, post mortem, eo unde descende« rat reportatur... Civitatum vero rectores cæterique « sapientes, cœlum respectu, vel quum adhuc corpore « tenentur, habitantes, facile, post corpus, cœlestem, « quam pæne non reliquerant, sedem reposcunt. »

Hanc doctrinam, a veteribus et a poetis (3) illustratam, apud Plotinum (4) et apud Porphyrium (5) invenerat Macrobius. Et sententiam pariter Platonicorum agnoscimus in his quæ sequuntur, ubi inquirit quid vivere et mori dicatur, quid et ubi inferi sint, secundum Platonicos. Docet enim illos, qui Pla-

(1) Macr. Comm., lib. I, c. 9.
(2) Juv. Sat. XI, v. 27.
(3) Virg. Æn., lib. VI. v. 727 et seq.
(4) Plot. Enn., I, lib. II, § 6. Enn. III et Enn. IV, passim et imprimis Enn. IV, lib. III, § 12.
(5) Porphyr. de Carn. abstin., lib. I, c. XI.

tonem secuti sunt, duas mortes distinxisse; unam scilicet animæ, alteram animalis: mori animal, quum anima discedit a corpore; ipsam vero animam, cum « a simplici et individuo fonte naturæ » in corporea membra descendit. Necesse est enim animam in corpore vinciri (1), ut constet animal, ideo corpus δέμας, hoc est vinculum (2), nominatur, et σῶμα quasi quoddam σῆμα, id est animæ sepulchrum. Inferos autem Platonici (3) certam mundi ipsius partem, Ditis sedem, vocaverunt, de loci ipsius finibus inter se dissentientes. Sed illi « quorum sectæ amicior est « ratio » animas beatas, ab omni cujuscumque contagione corporis liberas, cœlum possidere dixerunt; animæ vero quæ « ab illa specula altissima et perpe- « tua luce, terrena appetiverunt, pondere ipso cogita- « tionis paulatim in inferiora dilabuntur (4)... Nec « subito a perfecta incorruptibilitate luteum corpus « induuntur, sed sensim, per tacita detrimenta, et « totidem mortibus quot sphæras transeunt, ad hanc « perveniunt, quæ in terris vita vocitatur. »

Multa deinde refert de eo itinere, quo de cœlo in hujus terræ inferna animæ descendunt (5), et ista quidem ad cosmographiam potius quam ad philosophiam pertinere videntur. Tum de animæ essentia

(1) Vid. Plot. Enn. I, lib. I, § 12.
(2) Vid. Plot. Enn. II, lib. IX, § 7, Conf. Plat. Gorgiam in fine.
(3) Macr. Comm., lib. I, c. XI.
(4) Conf. Plot. Enn. IV, lib. III, § 12, Ἀνθρώπων δὲ ψυχαί, κ. τ. λ.
(5) Macr. Comm., lib. I, c. XII.

disserens : et hæc est essentia, inquit, « quam individuam eamdemque dividuam (1) Plato in Timæo, « cum de mundanæ animæ fabrica loqueretur (2), « nominavit; anima enim hominis, sicut et ipsa « mundi anima, modo divisionis reperientur expertes, « si divinæ naturæ simplicitas respiciatur, modo « capaces, cum illa per mundi, hæc per hominis « membra diffunditur (3). »

Nil novi profert Macrobius in his quæ a Platone, et præcipue a Plotino, desumpsit; neque cernere videtur quid obscuritatis et difficultatis habuerit doctrina quam exposuit; sed hoc quidem novi in illius expositione animadvertimus quod ista omnia veluti dogmata tradit quæ, definita et absoluta, nullam admittunt disceptationem. Quod idem observari potest cum de divinarum rerum oblivione, animis obrepente, disserit. Non enim dubitat quin (4), si animæ memoriam rerum divinarum, quarum in cœlo erant consciæ, ad corpora usque deferrent, nulla inter homines foret de divinitate dissensio. Sed oblivionem quidem omnes descendendo hauriunt, aliæ vero magis, minus aliæ. « Cum vera discimus, inquit (5), ea recognoscimus, quæ naturaliter no« veramus, priusquam materialis influxio in corpus

(1) Macr. Comm., lib. I, c. XII.
(2) Frequenter ista, istis verbis expressa, apud Abælardum inveniuntur.
(3) Conf. Plot. Enn. IV, lib. I, lib. II et lib. III.
(4) Macr. Comm., lib. I, c. XII.
(5) Id., ibid., lib. I, c. XII.

« venientes animas ebriaret. Hæc est autem Hy-
« le (1), *quæ omne corpus mundi*, quod ubique cerni-
« mus *idæis impressa* formavit....... Nec te moveat
« quod de anima, quam esse immortalem dicimus,
« mortem toties nominamus. Etenim morte sua anima
« non extinguitur, sed ad tempus obruitur : nec tem-
« porali demersione beneficium perpetuitatis eximi-
« tur ; cum rursus a corpore, ubi meruerit (2), conta-
« gione vitiorum penitus elimata, purgari, ad peren-
« nis vitæ lucem restituta, in integrum revertatur. »

Sed non hæc tantum, post Platonicos, de animarum origine, vita et morte disseruit; eosdem enim secutus, hominem duplici ratione mori docet : primum si anima corpus relinquat ; deinde si anima, in corpore adhuc manens, corporeas illecebras contemnat ; ex his vero mortibus posteriorem hanc omnibus appetendam, priorem arcessendam non esse, sed expectandam. Et de his disserens, multa de voluntaria morte tractat, quæ ad moralem potius spectant philosophiæ partem, quæque illuc distulimus. Quod si lectorem tædeat, propter linguæ barbariem, et ipsam rerum obscuritatem, pleraque ista Macrobii recensere, quæ ad rationalem philosophiam pertinent, recordetur necesse est unde ista originem trahant et quo perducant. Illa enim quæ de Deo, de anima mundi, aut de humana anima, tradit Macrobius, ab Alexandrinis de-

(1) Hanc vocem et hanc sententiam frequenter in Bernardi Silvestris Megacosmo invenimus.

(2) Conf. Virg. Æneid., lib. VI, v. 724 et suiv.

sumpsit, quæ, per illum, ad medii ævi scriptores, sæpius, ut mera Platonis et Platonicorum placita, devenerunt. Unde fieri potuit ut, Platonis auctoritate decepti, Scholasticorum multi in hos errores delapsi sint, qui Realistarum sectam signavere, quorumque semina in Commentario Somnii Scipionis quasi defossa latebant.

Et illa quidem placita, vulgata apud Christianos, et exagitata ab Augustino videre est, seu de Deo, seu de anima mundi, aut de humana anima, deque vita et morte, disputet. De Deo, Porphyrium insectatus (1) : « Quæ autem dicat esse principia, tanquam Platoni- « cus, ait, novimus. Dicit enim Deum patrem et Deum « filium, quem græce appellat paternum intellectum, « vel paternam mentem : de Spiritu autem sancto, aut « nihil, aut non aperte aliquid dicit : quamvis quem « alium dicat, horum medium, non intelligo. Si enim « tertiam, sicut Plotinus, ubi de tribus principalibus « substantiis disputat, animæ naturam etiam iste vellet « intelligi, non utique diceret horum medium, id est « patris et filii medium. Postponit quippe Plotinus ani- « mæ naturam paterno intellectui : iste autem cum di- « cit medium, non postponit sed interponit. Et nimi- « rum hæc dixit ut potuit, sive ut voluit, quod nos « Spiritum sanctum dicimus. Liberis enim verbis lo- « quuntur philosophi, nec in rebus ad intelligendum

(1) August. de Civit. Dei, lib. X, c. XXIII.

« difficillimis offensionem religiosarum aurium perti-« mescunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas « est... Nos itaque non dicimus duo vel tria principia, « cum de Deo loquimur..., etc.» et alias (1) : « Est ita-« que bonum simplex, et ob hoc solum incommutabile, « quod est Deus. Ab hoc creata sunt omnia, etc... » In quibus Christianum doctorem, Macrobio longe præstantiorem, Platonicorum sententiam evolventem et exagitantem, deque Deo clariora et certiora docentem audimus. De mundi autem anima pressius et ardentius (2) : « Si mundi animus Deus est, inquit Augus-« tinus, eique animæ mundus ut corpus est, ut sit « unum animal, constans ex animo et corpore, atque « iste Deus est sinu quodam naturæ in se ipso con-« tinens omnia, ut ex ipsius anima, qua vivificatur « tota ista moles, vita atque animæ cunctorum vi-« ventium, pro cujusque nascentis sorte, sumantur, « nihil omnino remanere (attendes), quod non sit « pars Dei. Quod si ita est, quis non videat quanta « impietas et irreligiositas consequatur, ut quod « calcaverit quisque, partem Dei calcet, et, in omni « animante occidendo, pars Dei trucidetur ?... »

Quod si, ad auctorem nostrum reversi, indagare volumus cujus sectæ placita secutus sit et defenderit, postquam propositi sui summam attigit, ista recensebimus quæ exponit, cum de tribus ratiocinan-

(1) August. de Civit. Dei, lib. XI, c. x et seq., ubi Platonicos et præcipue Porphyrium insectatur.

(2) August. de Civit. Dei, lib. IV, c. xi.

di modis disserit, quibus animæ immortalitatem asseruere Platonici (1). Postquam enim Ciceronis verba retulit : « Nam quod semper movetur æternum est, etc... » hunc locum omnem, de Phædro Platonis ad verbum translatum, ipse explicare et adversus Peripateticos defendere, aggreditur, his præcipue usus argumentis quæ apud Plotinum (2) et apud Porphyrium, alio quidem tenore, sed eodem sensu, expressa invenimus (3). Sed, et alios Platonicorum libros, quos non habemus, Macrobium legisse, et ipsum argumenta, quæ pro virili parte invenerat, in hac disputatione protulisse, constat, cum, ea refellens quæ Aristoteles adversus Platonem scripserat (4) : « Contra has « tam subtiles et argutas et verisimiles argumenta- « tiones, *accingendum est*, inquit, *secundum sectato- « res Platonis*, qui incœptum, quo Aristoteles tam ve- « ram tamque validam definitionem magistri sauciare « tentaverat, subruerunt. Neque vero tam immemor « mei, aut ita male animatus sum, ut ex ingenio « meo, vel Aristoteli resistam, vel adsim Platoni : « sed ut quisque magnorum virorum qui se Platoni- « cos dici gloriabantur, aut singula aut bina de- « fensa ad ostentationem operum suorum relique- « rant, *collecta hæc in unum continuæ defensionis « corpus coacervavi*, *adjecto si quid post illos aut*

(1) Macr. Comm., lib. II, c. XIII.
(2) Vid. Bouillet, Plot. Enn., vol. I, p. 50; vol. II, p. 126, 131-132.
(3) Id. ibid., vol. II, p. 622. Peripatetici a Porphyrio refutati.
(4) Macr. Comm., lib. II, c. XV.

« *sentire fas erat aut audere in intellectum licebat.* »

Longam idcirco et continuam, de spontaneo animæ motu et immortalitate, disputationem absolvit, in qua omnem argumentorum seriem, omnem disputandi subtilitatem evolvit, quæ in tali quæstione adhiberi potest. Illam autem quæstionem agitando, præclarum quoddam nobis relinquit exemplar disputationum quæ, apud ludorum magistros, mentes acuunt et exercent magis quam edocent, quarumque cavillationes hic attingere et signare non nostrum esse arbitramur. Platonicum enim Macrobium esse, cum de animæ immortalitate disserit, monstrare satis habemus, idque plane assequi ducimus cum illum id ipsum profitentem inducimus. Attamen cum ista disputatio ad summum Commentarii propositum pertineat, et aliquod veluti Scholasticarum disputationum specimen præbeat, cumque præterea ista non sic alias, Peripateticos inter et Platonicos, agitata fuisse audiverimus, hunc Macrobii locum omnino prætermittere noluimus, disputationemque hanc omnem, de motu et immortalitate animæ, longiorem licet et subtiliorem, lectoris oculis subjicere non inopportunum duximus, ideoque illam, adjectis quibusdam notis, ad calcem rejecimus.

Platonicos etiam secutum esse Commentarii auctorem testatur alius locus (1) in quo mundum æternum esse tradit, orsus ab his Ciceronis verbis :

(1) Macr. Comm., lib. II, c. x.

« Propter eluviones exustionesque terrarum, quas
« accidere tempore certo necesse est, non modo non
« æternam, sed ne diuturnam quidem, gloriam assequi
« possumus. » — Ibi enim, inter alia, hæc disserit (1) :
« In hac parte tractatus, illa quæstio latenter absolvi-
« tur, quæ multorum cogitationes de ambigenda
« mundi æternitate sollicitat. Nam quis facile mun-
« dum semper fuisse consentiat (2)? cum et ipsa
« historiarum fides, multarum rerum cultum emen-
« dationemque, vel inventionem ipsam, recentem esse
« fateatur: cumque rudes primum homines, et incuria
« silvestri non multum a ferarum asperitate dissimi-
« les, meminerit vel fabuletur antiquitas....... Ac, ne
« totum videamur de fabulis mutuari, quis non hinc
« æstimet mundum quandoque cœpisse, nec longam
« retro ejus ætatem, cum abhinc ultra duo retro an-
« norum millia, de excellenti rerum gestarum memo-
« ria, ne græca quidem exstet historia ? Nam supra Ni-
« num, quo Semiramis, secundum quosdam, creditur
« procreata, nihil præclarum in libros relatum est. Si
« enim ab initio, immo ante initium, fuit mundus, ut
« philosophi volunt, cur per innumerabilium seriem
« sæculorum non fuerat cultus, quo nunc utimur,
« inventus ? non litterarum usus, quo solo memoriæ
« fulcitur æternitas ? cur denique multarum rerum
« experientia ad aliquas gentes, recenti ætate, perve-

(1) Macr. Comm., lib. II, c. x.
(2) Vid. Plot. Enn. II, lib. IX, § 3. et Enn. III, lib. II, § 1.

« nit? ut, ecce, Galli vitem, vel cultum oleæ, Roma « jam adolescente, didicerunt ; aliæ vero gentes ad- « huc multa nesciunt, quæ nobis inventa placuerunt? « Hæc omnia videntur æternitati rerum repugnare, « dum opinari nos faciunt, certo mundi principio, « paulatim singula quæque cœpisse. Sed mundum « quidem fuisse semper, philosophia auctor est, con- « ditore quidem Deo, sed non ex tempore : siquidem « tempus ante mundum esse non potuit; cum nihil « aliud tempora, nisi cursus solis efficiat. Res vero « humanæ, ex parte maxima, sæpe occidunt, ma- « nente mundo, et rursus oriuntur, vel eluvione « vicissim, vel exustione redeunte. »

Hæc sunt quæ de mundi æternitate asserit Macrobius, Plotino auctore, licet rationes ipse excogitaverit cur aliter credatur, licet et his repugnantia, post Platonem, de mundi origine retulerit. In hac vero assertione, clarius quam ubivis alias, ostendit se memoria et auctoritate, potius quam proprio mentis motu et excogitatione, agere, dum Platonicorum sententiam tradere et defendere aggreditur. Nec temere inde judicabimus philosophiam apud illum maxime periclitari et inclinare, quæ, sui non satis conscia, rationis usu et auctoritate se abdicavisse jam, traditaque accipere tantum et transmittere, videtur. Quomodo autem illa quæ de mundi æternitate tradit, apud Christianos ad id temporis vulgata et refutata fuerint, præclare docet Augustinus : « Omitta-

« mus, inquit (1), conjecturas hominum nescientium « quid loquantur de natura vel institutione generis « humani. Alii namque, sicut de ipso mundo credi- « derunt, semper fuisse homines opinantur. Unde « ait Apuleius, cum hoc animantium genus descri- « beret : singillatim mortales, cunctim tamen uni- « verso genere, perpetui. Et cum illis dictum fuerit, « si semper humanum genus fuit, quonam modo ve- « rum eorum loquatur historia, narrans qui fuerint « quarumque rerum inventores, qui primi liberalium « disciplinarum aliarumque artium institutores, vel a « quibus primum illa vel illa regio parsque terra- « rum, illa atque illa insula, incoli cœperit, respon- « dent : diluviis et conflagrationibus, per certa inter- « valla temporum, non quidem omnia, sed plurima « terrarum vastari, ut redigantur homines ad exi- « guam paucitatem, ex quorum progenie rursus mul- « titudo pristina reparetur... Dicunt autem quod pu- « tant, non quod sciunt. Fallunt etiam eos quædam « mendacissimæ litteræ, quas perhibent, in historia « temporum multa annorum millia continere : cum « in litteris sacris, ab institutione hominis, nondum « completa annorum sex millia computemus... quod « autem respondimus cum de mundi origine quæstio « verteretur (2)... hoc etiam de prima hominis con- « ditione responderim... »

(1) Aug. de Civit. Dei, lib. XII, c. x.
(2) Aug. de Civ. Dei, lib. XI, c IV.

Et multa inde de his, sicut et de cæteris fecerat, disputat Augustinus, dignissima quæ Macrobii placitis conferantur, ut constet liquido quid Christianos inter et Platonicos tunc iisdem de quæstionibus interfuerit (1). Quod ad Macrobium attinet, in his quæ de Deo, de mundi anima et origine, de animæ natura et immortalitate tradit, a recentioribus Platonicis accepta, nihil altius aut certius expromptum, nil clarius expositum invenire est, quam quæ apud Platonem ipsum reperiuntur. Ista, quin imo, quæ divina Platonis mens invenit, longa traditionis serie velut extenuata, et sermonis barbarie obscurata, nativa quadam vi, et auctoritate rationis destituta, et ad eruditionis ostentationem, magis quam ad veritatis fidem comparata, in Somnii Scipionis Commentario evolvuntur et docentur. Et, dum Augustinum de divina, secundum Plotinum, illuminatione, recta referentem animadvertimus (2), Macrobium ipsum nusquam vidimus aut methodi aut doctrinæ conscium, quæ Alexandrinorum scholam insigniverunt. Plotinum Porphyriumque, ut meros Platonicos, non aliter ac post illum Scholastici, nominat ; illorum placita, velut ipsa Platonis auctoritate firmata, affert, et quasi dogmata proponit, quibus nihil sit objiciendum. Quod si his, quæ fidem provocant qua nitatur Deorum cultus,

(1) Id recentissime tractatum et plane absolutum invenimus in libro: *De sancti Augustini Philosophia* (Nourrisson, Paris, 1865). Quem nondum legeramus cum hæc scribere incipiebamus.

(2) Aug. de Civit. Dei, lib. X, c. II, et passim.

conferas illa quæ tum a Christianis docebantur, facile invenies cur prævaluerit sententia posteriorum, qui clariora et altiora, rationique et usui magis congruentia prædicabant, eaque divina auctoritate confirmabant. Et simul, cum tanta sit Platonicam inter et Christianam doctrinam affinitas, ut sæpe de quibusdam scriptoribus (1) disputatum fuerit an Christianis Paganisve sint annumerandi, non est quod miremur Macrobium tantum in medio ævo locum obtinuisse, qui Realistarum fortasse parens, sub Platonis nomine, Scholasticorum multos decipere potuit.

(1) De Macrobio ipso, an fuerit christianus, vide ea quæ disputavit Mahul. (Macr. éd. Nisard. Paris, 1850, p. 3.)

VII.

Quid docuerit Macrobius de morali philosophia.

Brevius quidem, sed planius et melius, de morali philosophia disseruit Macrobius. Pauca enim repeperiuntur in Commentario quæ, curtata et a Plotino desumpta, tractent de virtutibus; et, licet ista virtutibus, quæ *otiosæ* dictæ fuerunt, nimium locum tribuant, nimiumque a civilibus studiis videantur abhorrere, non possumus in his non agnoscere altiorem quemdam et puriorem virtutis sensum, qui aliquid a Stoicis, aliquid a Christianis petivisse videtur. In his etiam, quod quidem maxime ad propositum nostrum spectat, compendium quoddam moralis philosophiæ, et certam virtutum divisionem invenimus, quæ nobis ostendunt qualis apud Profanos exstiterit moralis doctrina, cum jam cæteræ philosophiæ partes labavissent.

Solæ, inquit (1), faciunt virtutes beatum : unde

(1) Macr. Comm., lib. I, c. VIII.

qui existimant solis philosophis virtutes inesse, solos philosophos beatos esse declarant. Agnitionem enim rerum divinarum sapientiam proprie vocantes, eos tantummodo dicunt esse sapientes, qui mente superna requirunt et intelligunt, imo, quantum naturæ humanæ imbecillitas præstat, imitantur, et « *in hoc solo aiunt esse exercitia virtutum.* » *Prudentiæ* tum dicitur esse, mundum istum et omnia quæ in mundo insunt, despicere, divinorum contemplatione, omnemque animæ cogitationem in sola divina dirigere; *temperantiæ* esse, omnia relinquere, quæ corporis usus requirit; *fortitudinis* esse, animam non terreri quando a corpore, philosophia ducente, recedit, neque « altitudinem per« fectæ ad superna ascensionis horrere; » *justitiæ* esse, unamquamque virtutem æque ac pariter ad id unum tendere propositum. Et ex hac rigida virtutum definitione constat rerum publicarum rectores beatos fieri non posse. « Sed *Plotinus*, ait, *in« ter philosophiæ professores cum Platone princeps,* « libro de virtutibus (1), gradus earum, vera et natu« rali divisionis ratione compositos, per ordinem di« gerit. Quatuor sunt, inquit (2), quaternarum ge« nera virtutum. Ex his primæ *politicæ* vocantur,

(1) Plot. Enn. I, lib. II.

(2) Conf. Plot., Enn. I, lib. II, ubi ista, non his verbis, sed fusius et obscurius exposita, invenies; et Porphyrium, de carnis abstinentia, quem pressius hic sequitur Macrobius.

« secundæ *purgatoriæ*, tertiæ *animi jam purgati*, « quartæ *exemplares.* »

Et divisionem hanc clarius quam Plotinus, Porphyrio auctore, explicat. *Politicas* virtutes homini quidem tribuit, quia sociale animal est; his virtutibus boni viri reipublicæ consulunt urbesque tuentur. Et est *politicæ prudentiæ*, ad rationis normam omnia dirigere, ac nihil præter rectum velle vel facere, humanisque rebus, tanquam divino arbitrio, providere. *Fortitudinis* est, animum supra periculi metum attollere, nihil nisi quod turpe est timere, et fortiter vel adversa vel prospera tolerare. *Temperantiæ* est, nihil appetere cujus nos pœniteat, nunquam moderationis legem excedere, semper, ratione duce, cupiditates domare. *Justitiæ* est servare unicuique quod suum est. « His virtutibus vir bonus primum sui, at- « que inde reipublicæ rector efficitur (1), juste ac « provide gubernans humana, divina non deserens. »

Non longe aliter virtutes dividit et definit ipse Cicero, in libris quos *de officiis* scripsit, et nihil in istis invenire est quod recedat tum a veterum tum a recentiorum de his doctrina. Quod non æque de virtutum divisione, quæ subsequitur, dici potest. Secundæ enim, inquit, virtutes *purgatoriæ* dictæ fuerunt, et hominis sunt « qui divini capax est et, quadam hu- « manarum rerum fuga, solis se inserere divinis de-

(1) . . . . . Tunc omnia jure tenebis
Cum poteris rex esse tui.

(Claud. in Hon. IV, cons. paneg.)

« crevit. Et harum quid singulæ velint, superius « expressimus, cum de virtutibus philosophantium « diceremus, quas solas quidam (1) existimaverunt « esse virtutes. Tertiæ, sunt *purgati animi* et puri « ab omni hujus mundi contactu ; in quibus *pruden-* « *tiæ* est non divina eligere, sed sola nosse et intueri ; « *temperantiæ*, terrenas cupiditates non refrenare, « sed penitus oblivisci ; *fortitudinis*, passiones igno- « rare, non vincere ; *justitiæ*, ita cum supera mente « sociari, ut servet perpetuum cum ea fœdus imi- « tando. Quartæ *exemplares* sunt, quæ in ipsa « mente divina consistunt, quam diximus νοῦν vocari : « a quorum exemplo reliquæ omnes per ordinem « defluunt. Nam, *si rerum aliarum*, *multo magis* « *virtutum idæas esse in mente credendum est*. Illic « *prudentia* est mens ipsa divina ; *temperantia*, quod « in se perpetua intentione conversa est ; *fortitudo* « quod semper idem est, nec aliquando mutatur ; « *justitia* quod, perenni lege, a sempiterna operis sui « continuatione non flectitur. »

Hæc sunt quæ, de ordine et gradu virtutum, docet Macrobius, quaternarum quaterna genera dinumerans, quarum « primæ molliunt, secundæ au- « ferunt, tertiæ obliviscuntur ; in quartis, inquit, « nefas est nominari. » Non sic profecto Plato, Cicero, et Seneca, de officiis aut de morum scien-

(1) Qui sint illi (Christiani fortasse?) non bene perspeximus.

tia disseruerant, ut virtutum definitiones tantum et partitiones traderent, ut paria paribus, in expositione moralis doctrinæ, responderent, et, quibusdam gradibus, ad summum omnium virtutum exemplar virtutes ascenderent : ista autem a Plotiniana doctrina manifeste defluunt et contrahuntur, apud quem superiorem obtinent locum virtutes quæ *otiosæ* nominantur, quæque gradatim ad summam intelligentiam sic animam hominis attollunt ut, cum Deo communicando, Deus ipse efficiatur. Quales autem fuerint, et quanti æstimandæ virtutes, quæ dicuntur *otiosæ*, alias (1) testatur Macrobius, cum Scipionis explicans verba : *hanc* (animam) *tu exerce optimis in rebus*, ait : « In superiore hujus operis parte (2) « diximus alias *otiosas*, alias *negotiosas* esse virtu- « tes, et illas philosophis, has rerum publicarum « rectoribus convenire ; utrasque tamen exercentem « facere beatum. Hæ virtutes interdum dividuntur ; « nonnunquam vero miscentur, cum utrarumque ca- « pax, et natura et institutione, animus invenitur. « Nam si quis ab omni quidem doctrina habeatur « alienus, in republica tamen et prudens et tempe- « ratus, et fortis, et justus sit ; hic, a feriatis remotus, « eminet tamen *actualium* vigore virtutum, quibus « nihilominus cœlum cedit in præmium. Si quis vero, « insita quiete naturæ, non sit aptus ad agendum,

(1) Macr. Comm. lib. II, c. XVII.
(2) Id. ibid. lib. I, c. VIII.

« sed solum, optima conscientiæ dote, erectus ad su-
« pera, doctrinæ supellectilem ad exercitium divinæ
« disputationis expendat, sectator cœlestium, devius
« caducorum; is quoque ad cœli verticem *otiosis* virtu-
« tibus subvehitur. Sæpe tamen evenit ut idem pectus,
« et agendi, et disputandi perfectione, sublime sit, et
« cœlum utroque adipiscatur exercitio virtutum......
« Quoniam igitur Africanus noster, quem modo avus
« præceptor instituit, ex illo genere est quod et de
« doctrina vivendi regulam mutuatur, et statum pu-
« blicum virtutibus fulcit, ideo ei perfectionis ge-
« minæ præcepta mandantur. »

Quantum hæc recedant a Ciceronis sententia, quam explicare profitentur, satis per se declarat locus iste, si conferatur his quæ supra retulimus. Longe enim fuerat a Ciceronis mente virtutes illas commendare, quæ *otiosæ*, *purgatæ*, *purgati animi* et *exemplares* a Macrobio hic definiuntur. A Plotino et a Porphyrio (1) decurrit illa quadripartita virtutum divisio, per quam, certo veluti gradu, ad Deum ascenditur, sed quam ad scholam potius concinnari, quam ad usum parari putes. Declinasse igitur potius quam profecisse, etiam in hac morali parte, philosophiam animadvertimus, quæ, dum virtutum veluti dogmata præcipit, subtilia nimis et humanam pæne naturam

(1) Vid. Plot., Enn. I, lib. II, passim, et Porphyr. de carn. abst. Post hos, de hac virtutum divisione disseruerunt Iamblichus, Proclus, Olympiodorus. Vid. Olymp. schol. in Phædonem.

excedentia, animorum vim enervat magis quam confirmat. Puram in his et altam sane, sed novam quidem, subtilem et sæpius inanem, invenies morum doctrinam, quæ, a Platonicis et a Stoicis fontibus defluens, a civilibus virtutibus recedit, quæque a Christianis mysticam quamdam et ἀσκητικὴν vim accepisse et ultra modum extulisse videtur. Apud Christianos semper plurimum valuisse et excultas fuisse virtutes quæ, rerum divinarum contemplatione, divinarumque virtutum imitatione, præcipue constant, manifestum est quidem ; sed et vicissim istam *otiosarum* virtutum divisionem, e Macrobio ipso desumptam, magnique factam fuisse apud medii ævi Christianos, æque compertum habemus. Inter enim plurima hujus rei documenta, testimonium Abælardi proferre licet qui illam virtutum definitionem, permultis in locis (1), magna cum laude profert et explicat; unde judicari potest quantum Christianis, in hac philosophiæ parte, consentiat Macrobius. Et, ut hujus facti demonstrationem absolvamus, ostendemus illum etiam, et de humanæ laudis contemptu, et de voluntaria morte, ista docuisse quæ Christianam non dedecent doctrinam.

De contemptu quidem laudis, Ciceronis verba commentatus : *non modo non æternam*, *sed ne diuturnam quidem gloriam assequi possumus*, ait (2) : «Vir-

(1) Vid. Petr. Abæl. op. pars post. Paris, 1849. Theol. christ., p. 420, e Ibid. Dial. int. Jud. et Christ. philos., p. 682 et 686.
(2) Macr. Comm., lib. II, c. x.

« tutis fructum sapiens in conscientia ponit, minus « perfectus in gloria : unde Scipio perfectionem cu- « piens infundere nepoti, auctor est ut, contentus « conscientiæ præmio, gloriam non requirat. »

Quæ, a Stoicis mutuata, in eamdem cadunt sententiam atque illa quæ Augustinus, de contemnenda et fugienda humana laude, docuit (1), sed longe aliter exposita. Macrobius enim perpetuitatem gloriæ sperari non posse demonstrat, « quando, mundo ipso in « immensum patente et in æternum manente, ea « quæ in illo sunt minimum obtinent locum, et, vi- « cissitudine necessaria, nunc occidunt nunc oriun- « tur. » Augustinus autem amorem laudis vitium esse prædicat (2), quod quidem publicis rebus utile fuisse fatetur. « Sed huic cupiditati, ait (3), melius « resistitur sine dubitatione, quam ceditur. Tanto « enim quis est Deo similior, quanto est ab hac « immunditia mundior..... » Et, postquam sententiam suam explicuit et sacris scripturis confirmavit : « Merces autem sanctorum longe alia est, inquit (4), « etiam hic opprobria sustinentibus pro civitate « Dei..... quæ sempiterna est : ubi nullus oritur « quia nullus moritur. Ibi est vera et plena felicitas, « non Dea, sed donum Dei. »

(1) Aug. De Civit. Dei, lib. V, c. XIII et seq.
(2) Id. ibid. lib. V, c. XIII.
(3) Id. ibid. lib. V, c. XIV.
(4) Id. ibid. lib. V, c. XVI.

Non secus de voluntaria morte eadem atque Christiani docet Macrobius, sed aliis quidem de rationibus. « Non occides, » dixerat Augustinus (1), Dei ipsius mandatum proferens et explicans, erroremque eorum refellens qui hoc præceptum etiam in bestias et pecora conantur extendere; « non occides, nec « alterum ergo, nec te. Neque enim qui se occidit « aliud quam hominem occidit. »

« Homo moritur, dicit Macrobius (2), cum anima « corpus relinquit solutum lege naturæ : mori etiam « dicitur, cum anima, adhuc in corpore constituta, cor« poreas illecebras, philosophia docente, contemnit, « et cupiditatum dulces insidias reliquasque omnes « exuitur passiones (3). Et hoc est, quod supe« rius, ex secundo virtutum ordine, quæ solis phi« losophantibus aptæ sunt, evenire signavimus. Hanc « ergo mortem dicit Plato sapientibus appeten« dam : illam vero, quam omnibus natura cons« tituit, cogi, vel inferri, vel acciri vetat, docens « exspectandam esse naturam; et has causas hu« jus aperiens sanctionis, quas ex usu rerum, quæ « in quotidiana conversatione sunt, mutuatur. Ait « enim, eos qui potestatis imperio truduntur in car« cerem, non opportere inde diffugere, priusquam « potestas ipsa, quæ clausit, abire permiserit : non

(1) Aug. De Civit. Dei, lib. I, c. XX.
(2) Macr. Comm., lib. I, c. XIII.
(3) Non alio sensu apud Christianos usurpatur vox : Mortificatio.

« enim vitari pœnam furtiva discessione, sed cres-
« cere. Hoc quoque addit, nos esse in dominio Deo-
« rum, quorum tutela et providentia gubernamur;
« nihil autem esse, invito domino, de his quæ possi-
« det, ex eo loco in quo suum constituerat, aufe-
« rendum : et sicut qui vitam mancipio extorquet
« alieno, crimine non carebit, ita eum, qui finem
« sibi, domino necdum jubente, quæsiverit, non ab-
« solutionem consequi, sed reatum. Hæc Platonicæ
« sectæ semina altius *Plotinus* exsequitur. Oportet,
« inquit (1), animam, post hominem, liberam corpo-
« reis passionibus inveniri : quam qui de corpore
« violenter extrudit, liberam esse non patitur. Qui
« enim sibi sua sponte necem comparat, aut pertæ-
« sus necessitatis, aut metu cujusquam ad hoc des-
« cendit, aut odio : quæ omnia inter passiones haben-
« tur. Ergo etsi ante fuit his sordibus pura, hoc ipso
« tamen quo exit extorta, sordescit. Deinde mortem
« debere ait animæ a corpore solutionem esse, non
« vinculum : exitu autem coacto animam circa cor-
« pus magis magisque vinciri. Et revera ideo sic
« extortæ animæ diu circa corpus ejusve sepulturam,
« vel locum, in quo injecta manus est, pervagan-
« tur (2) : cum contra illæ animæ, quæ se in hac
« vita a vinculis corporeis Philosophiæ morte dis-

(1) Vid. Plot. Enn. I, lib. IX. Vid. Bouillet, T. I, p. 82, 91, 140, 141, et T. II, p. XLII. De Porphyr. sent. V. Bouillet, T. I, p. LVII.

(2) Hoc non a Plotino, sed a Porphyrio dictum fuit : Vid. de Carn. abst.

« solvunt, *adhuc exstante corpore cœlo inserantur.*
« Et ideo illam solam de voluntariis mortibus significat esse laudabilem, quæ comparatur, ut diximus, philosophiæ ratione, non ferro; prudentia, non veneno. Addit etiam, illam solam esse naturalem mortem, ubi corpus animam, non anima corpus relinquit (1). Constat enim, numerorum certam constitutamque rationem animas sociare corporibus; hi numeri dum supersunt, perseverat corpus animari; quum vero deficiunt, mox arcana illa vis solvitur, qua societas ipsa constabat; et hoc est quod fatum et fatalia vitæ tempora vocamus. Anima ergo ipsa non deficit, quippe quæ immortalis atque perpetua est, sed, impletis numeris, corpus fatiscit; nec anima lassatur animando, sed officium suum deserit corpus, quum jam non possit animari; hinc illud est doctissimi vatis :

Explebo numerum reddarque tenebris.
Æn., l. VI, v. 545.

« Hæc est igitur naturalis vere mors, quum finem corporis solus numerorum suorum defectus apportat; non quum extorquetur vita corpori adhuc idoneo ad continuationem ferendi. Nec levis est differentia vitam vel natura vel sponte solvendi ; anima enim , cum a corpore deseritur, potest in se retinere nihil corporeum, si se pure, quum in

(1) Conf. Porphyr. Ἀφορμαὶ πρὸς τὰ νοητά, lib. IX.

« hac vita esset, instituit; quum vero ipsa de corpore « violenter extruditur, quia exit, rupto vinculo, non « soluto, fit ei ipsa necessitas occasio passionis; et « malis, dum vinculum rumpit, inficitur. Hanc quo- « que superioribus adjicit rationem non sponte per- « eundi : quum constet, inquit, remunerationem « animis illic esse tribuendam pro modo perfectio- « nis, ad quam in hac vita unaquæque pervenit, non « est præcipitandus vitæ finis, quum adhuc proficiendi « esse possit accessio. Nec frustra hoc dictum est : « nam, in arcanis de animæ reditu disputationibus, « fertur in hac vita delinquentes similes esse super « æquale solum cadentibus, quibus denuo præsto sit « sine difficultate surgere; animas vero in hac vita « cum delictorum sordibus recedentes, æquandas his « qui in abruptum ex alto præcipitique delapsi sunt, « unde facultas nunquam sit resurgendi. Ideo ergo « concessis utendum vitæ spatiis, ut sit perfectæ pur- « gationis major facultas. Ergo, inquies, qui jam « perfecte purgatus est manum sibi debet inferre, « cum non sit ei causa remanendi, quia non profe- « ctum ulterius requirit, qui ad supera pervenit? Sed « hoc ipso quo sibi celerem finem spe fruendæ bea- « titatis arcessit, irretitur laqueo passionis : quia « spes, sicut timor, passio est; sed et cætera, quæ « superior ratio disseruit, incurrit. Et hoc est quod « Paulus filium, spe vitæ verioris, ad se venire prope- « rantem prohibet ac repellit : ne festinatum abso-

« lutionis ascensionisque desiderium magis cum hac « ipsa passione vinciat ac retardet; nec dicit quod, « nisi mors naturalis advenerit, emori non poteris, « sed : huc venire non poteris; *nisi enim quum Deus*, « inquit, *istis te corporis custodiis liberaverit, huc* « *tibi aditus patere non potest.* Quia scit, jam re- « ceptus in cœlum, nisi perfectæ puritati, cœlestis « habitaculi aditum non patere. Pari autem constan- « tia mors, nec veniens per naturam, timenda est, nec « contra ordinem cogenda naturæ. Ex his quæ Pla- « tonem, quæque Plotinum, de voluntaria morte, « pronuntiasse retulimus, nihil in verbis Ciceronis, « quibus hanc prohibet, remanebit obscurum. »

Hæc omnia, quæ de voluntaria morte commentatus est Macrobius, referre non dubitavimus, quoniam in his manifesto apparet qua methodo præcipue usus sit, in explicanda Ciceronis philosophia. « Retinendus « animus est in custodia corporis, dixerat Cicero, nec « injussu ejus a quo ille vobis est datus, ex hominum « vita migrandum est, ne munus a Deo assignatum « defugisse videamini » : et hanc sententiam, quæ omnem veterum et recentiorum, adversus voluntariam mortem, doctrinam continet, latius et fusius, Platone, Plotino et Porphyrio auctoribus, sic profert et diluit, ut illius vim minuat et enervet, nedum augeat et confirmet. Si Phædonem Platonis, si nonum primæ Enneadis librum, si Porphyrii secundum librum de carnis abstinentia, istis conferas,

omnia hæc passim, alio tenore, aliis verbis expressa, invenies, sed quæ in eamdem cadant sententiam. Simul et facile intelliges Macrobium non hos auctores ante oculos habuisse, cum aliquoties ab illis tantisper declinet, et aliquoties Plotino attribuat quæ ad Porphyrium certe pertinent. Sic enim, dum ait Plotinum docuisse « extortas animas diu circa corpus ejusve sepulturam pervagari », Porphyrii (1), non Plotini, agnoscimus verba. Neque hic prætermittendum est ista, qualiacumque sint, magni æstimata apud medii ævi scriptores, et velut ipsius Platonis auctoritate, commendata fuisse. Cujus rei testem iterum habemus Abælardum (2), qui hunc omnem Macrobii locum retulit, et illum maximis et sanctissimis auctoritatibus, scilicet Hieronymo, Augustino, et sacris scripturis conferre non dubitavit. Et sic apud nos confirmata prævaluit opinio, qua credimus et perlectum et magni factum, in medio ævo, Commentarium fuisse, qui, in morali, sicut in naturali et in rationali philosophia, plurima, et alte quidem impressa, vestigia reliquit.

(1) Porph. De Carn. abst., lib. II, p. 47.
(2) Abæl. Sic et Non. p. 157. Vid. Abæl. op. ined. Paris, 1836.

VIII.

Macrobius Alexandrinis et Augustino comparatus.

Et nunc, postquam illa, quæ de quaque philosophiæ parte docuit, delineavimus, animo nobis fingere possumus qualem teneat in philosophiæ historia locum Macrobius, si illum Alexandrinis et Augustino conferamus. Platonicus dici gloriatur, non aliter ac Cicero, qui non, et ipse, bene compertum habebat quid hoc nomine designaret. Quos autem Platonicos appellet nos non fefellit, cum manifesto sint illi quos Neoplatonicos, seu potius Alexandrinos, recenti vocabulo appellavimus. Et Platonica illa, quam amplexus est, doctrina, tot et tam diversis commentariis aucta, districta, et ad novos sensus accommodata, colluvies quædam facta erat doctrinarum omnium, quas non Græcia tantum, sed Judæa etiam, Ægyptus et Oriens agitaverant (1). Hujus sectæ, siquidem secta aut schola dici potest, maxime tunc placita

(1) Vid. Nourrisson, Phil. de S. Aug., t. II, p. 121.

vulgabantur, cum Ciceronem Commentario explicare aggressus est Macrobius. Istorum philosophorum libros, præcipueque Plotini et Porphyrii, qui primas inter eos tenuerant, evolvit, illosque, in linguam latinam partim translatos, vulgavit. Philosophiæ vero hujus amator et professor, potius quam philosophus dicendus est. Illa sane tenere voluit

Edita doctrina sapientum templa serena,
Despicere unde queas alios (1).

Sed non *otiosis* virtutibus contentus, quas enumerat, quæque solos philosophos decent, rebus publicis incubuit, et sibimetipsi laudem hanc vindicans, quam Scipioni tribuit (2), « eminuit *actualium* gloria virtu« tum. » Illam igitur amplexus est Platonicam, quam dicere ausim religionem potius quam philosophiam, cujus theologiam in Proclo invenire est, altam scilicet, naturalem, universalem, rationi accommodatam, et quæ vulgatas de Diis fabulas non dedignatur omnes, sed illis symbolicam formam induit, sub qua Dei et naturæ vis adoratur. Isne tamen est Macrobius qui Plotino, Porphyrio, et Proclo, ut philosophus, conferri possit? Non ita censuimus. Longe quidem ab illis, seu philosophicæ eruditionis copia, seu intelligendi et excogitandi facultate, seu denique docendi et scribendi arte, ponendus est, et idcirco non mi-

(1) Lucr., lib. II. v. 8.
(2) Macr. Comm., lib. I, c. VIII.

randum quod tanto in despectu jacuerit simul ac isti philosophi, Alexandrinorum principes, græca in lingua legi cœperint. Sed, si eorum doctrinam omnem referre nec voluit nec potuit, tamen omnia quæ barbaro sermone tradit, in istis inveniuntur; unde, per plurima secula, quamdam, veluti minutam, sed ad verum expressam, horum Platonicorum imaginem præbuit. Philosophiam nempe illam repræsentat quæ, methodo carens, verum solo intuitu assequi affectat, quæ *sola intelligibilia esse* declarat, quæ idæarum doctrinam Realismi et Pantheismi periculis objicit, quæ tres Dei ὑποστάσεις explicat, quæ denique de naturali, de rationali et de morali philosophia, illa omnia agitat quorum summarium quoddam Somnii Scipionis Commentarius protulit.

Sin autem Macrobium Augustino conferemus, discemus, ex hac comparatione, quomodo, cedente tunc philosophia, Christiana theologia prævaluerit. Eadem ætate florentes ambo, magnum quidem, tristibus istis temporibus, locum obtinuerunt Macrobius et Augustinus; dum alter rem romanam labantem, perituramque falsorum numinum religionem, frustra fulcire conatus est; alter ad animarum regimen accedens, novamque religionem defendens et illustrans, Christianæ doctrinæ, qua novus rerum ordo protegendus erat, fundamenta stabilivit.

E patricia et pagana gente originem duxisse videtur Macrobius; e mediocri vero familia ortus, et a

christiana matre educatus fuit Augustinus; sed ambo, alio licet sub cœlo, eamdem doctrinam hausisse, eosdem libros evolvisse manifestum est (1). Platonicos ambo plurimi fecerunt, sed Platonem non tam ipsum quam ipsius commentarios cognoverunt, illisque, æquo nomine Platonici habiti sunt Plato, Arcesilas, Carneades, Plotinus præcipue et Porphyrius. Magna quidem sed confusa eruditione instructi, methodo pariter caruerunt; sed, in disquirendo vero, multo inferius jacet Macrobius. Licet enim neque dialecticæ expers sit, in illa quam reliquit de motu animæ spontaneo disputatione (2), neque psychologiæ omnino rudis, in his quæ de animæ facultatibus scripsit, longe tamen post Augustinum collocandus est; quippe qui platonicam fidem, cæca nimis mente, in omnibus amplectatur, nec unquam dubio laboravisse videatur, ideoque tradita tantum, ut vera omni de parte accepta, transmiserit. Augustinus autem, verum avide inquirens, quum longa et anxia dubitatione hæsitavisset, et sollicita mente quocumque circumspexisset, a Platonica doctrina ad Christianam fidem transiit. Platonica idcirco placita, non sicut Macrobius, indiscreta accepit. In naturali philosophia, seu ad philologiam, seu ad numerorum doctrinam, ad musicam, ad geometriam, ad astronomiam, et ad physicas artes respicias, eadem quæ Macrobius didi-

(1) Vid. Jani proleg. in Macr., p. XI; et Nourrisson, phil. de St Aug., II. p. 128 et seq.
(2) Vid. infra, p. 109 et seq.

cit et docuit. In morali philosophia, illa quæ summatim de quaterna virtutum divisione et definitione tradit Macrobius, Augustini doctrinæ in eo tantum comparari possunt quod, in Dei imitatione, et intima animæ cum Deo conjunctione, maxime consistant. In rationali autem philosophia multum a Macrobio discrepat Augustinus ; et quæ de Deo, de anima mundi, de mundi æternitate temere tradidit Macrobius, illa Christianus doctor dijudicavit, exagitataque ad normam divinæ auctoritatis redegit et composuit. Neminem vero fugit quantum, in hac duarum doctrinarum conflictatione, non tantum ardore discendi et docendi, sed intelligendi, excogitandi exponendique facultate, præstet Augustinus.

Sed quis præterea non agnoscat quo in discrimine tunc versaretur philosophia illa, quæ libera et rationali solum veri disquisitione constare dicitur? Hinc enim Platonis veluti divina auctoritate nititur Platonica quædam traditio, quam summatim in Macrobio perspeximus, quamque explicatam in Proclo deprehendemus; inde vero Platonicis sæpe placitis instructa, sed sacris confirmata scripturis, Christiana assurgit theologia, quæ fidem exposcit, « intellectum sane quærentem, » sed ecclesiæ divina circumseptam auctoritate. Nonne necesse erat ut periret philosophia illa, si novi nominis dignitatem et auctoritatem ignoraret aut respueret, quæ, sui non conscia, et mox ipsum nomen suum abdicatura,

jam vim et essentiam suam abdicavisse videbatur?

Unam et eamdem rem duplici jam vocabulo designat Macrobius, theologos (1) appellans eosdem quos et philosophos nominat; dum ipsi Christiani doctores theologiam philosophiæ (2) nomine nuncupant. Nomina igitur tunc, sicut et res, confunduntur, et una tantum intercedit distinctio, quod altera parte theologiam secundum Platonem, altera theologiam secundum sacras scripturas videre est; quarum prior, ab Alexandrinis defensa, marcessit et labat, dum posterior, a Christianis propagata, viret et efflorescit.

Et, licet fortasse temerarium sit Alexandrinam scholam exagitare, cum de Macrobio agitur qui inter Alexandrinos longe inferior exstitit, non possumus hic non aliquantisper in hujus philosophiæ fatis immorari. Etenim post tot elapsa sæcula, et tot præstantissimorum ingeniorum susceptos labores, eo usque tantum, incipiente hoc sæculo, profecerat apud nos philosophia, ut Europæis doctrinis Alexandriam invisere peroptandum et perutile fore declararetur (3),

(1) Macr. Comm., lib. I, c. XIV et lib. II, c. XV.

(2) S. Basil. Ὁμιλία πρὸς τοὺς νέους, c. IX.

(3) Totius antiquitatis philosophicæ doctrinas atque ingenia in se exprimit (Alexandrina Schola), quæ, excepta, quod quidem tanti est, methodo, nostram hanc recentiorem philosophiam, doctrinarum amplitudine atque altitudine, longe exsuperat. Non ego tamen dubito illud quondam tempus affore quo, purior ideoque excelsior quam apud Alexandrinos, omni symbolico apparatu superstitionisque velamine tandem expedita, apud nos philosophica ratio existat; sed fateri invitus cogor, hactenus a proposito illo philosophandi fine Europæas doctrinas, hinc a Sensualismo, illinc ab Idæalismo longius remotas mihi videri; quo ut perveniant, Alexandriam invisisse forsan illis profuerit. (Cousin. Procl. lat. præf., p. XVI. Paris, 1820.)

dum contra, eodem vix inclinante sæculo, multas post exactas disquisitiones, irritum hoc votum evasisse, imo in contrarium vertisse cernimus. Omisso igitur divinæ providentiæ arbitrio, quæ omnia nutu suo moderatur, cujusque decreta accipere et adorare sæpius quam intelligere nobis datum est, inquirere tentabimus, quibus humanis de causis, sterilis per se fuerit Alexandrinorum doctrina, cujus tamen semina, alte defossa, usque ad nos plurimos hinc inde surculos emisere.

Græcæ totius philosophiæ hæres, et universi Romani orbis doctrinas complexa, ex diversissimis elementis conflata fuit Schola illa, quæ neque philosophia neque religio dici potest, dum utrumque esse affectavit. Nihil quidem humani divinique a se alienum putavit, et, per omnes omnium ingeniorum vias ingressa, ista humanæ cogitationis fastigia attigit, ubi illam vix, mente titubantes, sequi possumus; non ideo mirum habendum est illam omnium temporum ingenia allicere, et cognationis aliquid habere cum omnibus doctrinis, quæ et nunc agitantur et postea agitabuntur. Sed quis non cernat quam discors fuerit illius Idæalismi concordia, quæ Platonis auctoritate non jure et merito commendatur? Quam confusa, quam pugnantia sæpe inter se, fuerunt ista placita, quæ collecta et coacervata dicas, potius quam electa et composita! Num ratio, dum tali antiquarum doctrinarum mole pæne obruitur, philoso-

phiæ nomine illam Scholam appellare potest, quæ verum non ratione et via assequi, sed divino quodam intuitu contemplari profitetur, quamque *syncretismum* potius quam *eclectismum* appellaremus, si vocabulis istis uti concederetur. Erat necesse tum, aut stare mentem humanam, cum ad id devenisset, aut retro cedere, et denuo, alia methodo, aliis argumentis, eadem agitare quæ quondam græci philosophi agitaverant. Sterilis igitur per se fuit Schola illa, quæ nullum alium utilitatis fructum tulit, nisi quod æternæ disputationis elementa discordi sub pace servavit, et quod, postquam altissima de Deo excogitaverat, Deum aut nil omnino aut omnia esse effinxit.

Et dum, non satis conscia periculorum quibus utrinque objecta erat, ista humanæ cogitationis cacumina pererrabat, nimium ab hominum turba et societate secessit. Inter doctos tantum versata, et ad mentes illas pertinens, quæ cæteris cultu et intelligentia præstabant, placidum et frigidum nescio quid retinuit, quod lucet quidem aliquando, sed nunquam calefacit. Nihil ab hac Schola proficiscitur quod ad docendas plebis mentes, ad erigendos animos, ad purgandos et renovandos mores pertineat. Tota in veri bonique intuitu defixa, his superbiens quæ invenit, otiosis sæpius contenta virtutibus, quibus homo Deus fieri affectat, altiorem et secretiorem occupat sedem unde profanum vulgus despicit. Nullos autem fructus ex ista solitaria et inacessa arce de-

mittere potuit, nullaque semina quibus ipsa propagaretur, et homines, seu ad melius philosophandi spem, seu ad rectius vivendi cupidinem revocaret. Fabulas quidem et numina turbæ relinquebant Alexandrini, sub quibus nomina tantum symbolicasque rerum formas inesse putabant ; sed ab excelsa philosophiæ specula descendentes, et ad aras accedentes, alienam mentem, alienos a vulgo sensus præ se ferebant, aliamque in scholis , aliam in templis fidem profitebantur ; et, dum altius longiusque a turba recedebant, nihil erat quod ingens illud intervallum, philosophos inter et plebem, jungeret, eo ipso tempore quo « Dei amorem « usque ad sui contemptum aliam et novam Civitatem « effecisse » prædicabat Augustinus (1). Ad hanc autem *novam civitatem* pertinebant plerique eorum qui ingenio , virtute et cultu præstantes, a Platonicis scholis, et a sterili disputatione, ad Christiana templa confugerant, seque Deo totos et plebi devoverant.

Paucorum igitur ingeniorum disceptationibus relinquebantur placita illa Alexandrinorum, quæ græca in lingua agitabantur, quæque recte et apte a Latinis agitari non poterant. Et hic quidem præcipua animadvertitur causa cur sterilis necessario per se, et peritura fuerit Schola illa, quæ tota græca exstitit. Cum Græcorum lingua numinibusque occumbere debuit doctrina, quæ vetusta Græcorum templa fulcire frustra tentaverat, et, super collabentis impe-

(1) Aug. De Civit. Dei, lib. XIV, c. XXVIII.

rii ruinas, medios inter Barbaros et Christianos, humanarum quasi vicissitudinum nescia, græcis disputationibus vacaverat. Græca deficiente lingua, græca illa defecit philosophia; et testem hujus fati Macrobium huc adducimus, qui Alexandrinorum doctrinam hoc maxime prodere videtur, quod illam, imbecilli et barbara lingua, tradere adoritur. Nil prope in illius philosophia reperitur, quod non invenire sit in Plotini, in Porphyrii, aut in Procli operibus. Sed, quodam ingenii Romani defectu, et linguæ præsertim latinæ barbarie omnia vitia, quibus Alexandrina Schola laborabat, majora effecit, dum illius disputandi et docendi vim enervabat. Quo enim methodi defectu, qua confusione, quibus contradictionibus, quo turbæ contemptu, qua disputandi subtilitate laboraverit illa adeo ostendit, ut testem hunc recusare quasi necesse fiat iis, qui Alexandrinam Scholam aut commendare aut defendere adoriren-tur. Si enim Christianorum, præcipueque Augustini, eclectismo, conferatur Macrobii doctrina, plane et clare apparebit utra parte luceat veræ lux philosophiæ, cui mentes illuminare et sanare, animos flectere et erigere, hominum denique societatem jungere et renovare, datum fuit.

IX.

Quam magni factus fuerit in medio ævo Macrobius.

Quod si ad philosophiæ historiam refert Macrobianæ doctrinæ fata apud Scholasticos sequi, demonstrandum superest Commentarium Somnii Scipionis magnum in medio ævo locum obtinuisse, idque nos non sine auctoritatibus affirmavisse. Illa nempe opinio, quam apud recentes (1) magnique ponderis scriptores invenimus, multis et præclaris testimoniis comprobari potest, quorum multa protulit Janus, qui Macrobii opera (2) diligentissime edidit et accuratissime annotavit.

Commentarium in Somnium Scipionis, temporibus illis quibus primum prodierit, plurimi fuisse æstimatum, vel inde colligitur, quod hoc solum Macrobii opus, idque multis exemplaribus, integrum

(1) Vacherot, Hist. crit. de la Phil. Alex., vol. III, p. 118. Paris, 1851. Hauréau, De la Phil. scol., vol. I, p. 89. Paris, 1850. Cousin, Abæl. op. ined. Paris, 1836. Intr., p. XLIX.

(2) Quædl. et Lipsiæ, 1848. Vid. proleg.. vol. I, p. XLVII.

est servatum. Nullum quidem, inter tot exemplaria, est quod ante nonum post Chr. n. seculum exaratum esse videatur : neque tamen pronuntiandum est ab illo demum tempore sæpius hoc opus esse lectum atque descriptum : prioribus potius seculis scripta exemplaria crebriore usu videntur fuisse contrita; nam vir consularis (1) non dubitavit in eo emendando elaborare, idque significare subscriptione quæ legitur in codicibus compluribus. Excerpta præterea memorare est, eis titulis in manuscriptis designata : « Fragmentum (2) Macrobii de differentia stellarum et de solis magnitudine; Sphæra Macrobii; Extractiones (3) de libro Macrobii in expositione Somnii Scipionis. »

Quam autem probatus sit posterioribus seculis hic Commentarius, auctor est Maximus Planudes, qui eum integrum, cum Somnio Scipionis, in græcum vertit (4), quarto decimo post Christum seculo. Imo et Bruckerus, in Historia critica philosophiæ (5), Macrobium nominat inter scriptores eos quibus tanquam classicis usi sint medii ævi homines; illum dicit « veteris « philosophiæ opiniones haud infeliciter expressisse, « ejusque perspicuitatem fecisse, ut illis, qui paulo

(1) Aurel. Memm. Symm. V. Jani, Proleg., p. XLVII, v. I.
(2) Vid. Jani prolegom. p. XXXVII.
(3) In Codice quodam Bambergensi.
(4) Fabricius in Bibl. lat., t. III. p. 181 (ed. Ernesti), refert hoc opus reperiri in Biblioth. reg. gall. codice, 683. Mahul (Macr., éd. Nisard, p. 4) ait septem hujus operis codices indicari in catalogo Bibl. regiæ Parisiensis.
(5) T. II, p. 567.

« melius saperent, magnopere probaretur. » Inter exempla, ab illo allegata, duo sunt quæ ad hunc Commentarium pertinent : alterum quod Elbodus episcopus Wiburgensis, de geometricis nonnullis, in Macrobium commentatus est; alterum, quod sæpe ad Macrobium provocat Honorius Augustodunensis, in libris de philosophia mundi (1), quibus additur ejusdem liber de solis affectibus. Ibidem Macrobium testem citasse dicitur Zacharias Chrysopolitanus (2). Pauca de hoc opere sumpsit Joannes Sarresberiensis (3) in Policratico, lib. II, capp. 14 et 15, ubi, quæ Macrobius, l. I, cap. 3, disseruit, de somniorum generibus et de geminis somnii portis, plerumque aliis redduntur verbis. Macrobium vero auctor ille eo commendat, quod est « conspicuus in sententiis, in verbis floridus, et « tanta morum venustate redundans, ut in institutione « convivii, et disputatione, videatur socraticam dulce- « dinem propinare. » Post hunc denique medii ævi scriptorem, memorandus est Vincentius Bellovacensis, qui, decimo tertio post Christum seculo, magnum opus composuit, ad omnes disciplinas pertinens, quod inscripsit « Speculum majus », et in quo multa ex hoc Commentario excerpta inseruit. Quin imo, sanctus Thomas Aquinas, cum Platonicos nominat (4),

(1) In Bibl. lat. Fabricii. t. III, p. 180.
(2) T. XIX, Bibl. patr. lugd., p. 859.
(3) Qui mortuus esse dicitur ann. p. Chr. n. 1180.
(4) T. I, p. 91, t. II, p. 102; t. III, p. 395; éd. Vivès. Paris, 1855.

Alexandrinos manifesto designat, quos absque dubio per Macrobium cognovit. Illud enim fatentem ipsum audimus cum scribit (1) : « Ponebant Platonici primum ens, quod etiam dicebant esse patrem totius « universitatis rerum ; consequenter ponebant aliam « substantiam sub eo (quam vocabant mentem vel « paternum intellectum), in qua erant rationes omnium rerum, sicut Macrobius recitat, libro quarto « super Somnium Scipionis. »

Sed quam lectus, quantique æstimatus fuerit in medio ævo Macrobius, nusquam clarius et manifestius deprehendimus, quam in Petri Abælardi operibus, ubi præclarus ille Scholasticus doctor Platonem per Platonicos, Platonicos per Macrobium se cognovisse declarat. Qua de re igitur illum ipsum testem huc adducere opportunum censuimus, et, si non omnes, quosdam saltem operum illius locos afferre, quibus melius judicari possit quomodo Somnii Scipionis Commentario usus fuerit, a quo solo Platonis doctrinam hausisse videtur (2).

De Aristotele scribens, dixit (3) : « Si etiam « scripta magistri ejus Platonis in hac arte novissemus, utique et ea reciperemus, nec forsitan ca- « lumnia discipuli de definitione magistri recta vide- « retur. Novimus etiam ipsum Aristotelem et in aliis

(1) Thom. Aq. Sum. theol., T. II, p. 102, éd. Vivès.
(2) De hoc vid. Cousin op. Abæl. ined. Paris. 1836, intr., p. XLIX et seq.
(3) Abæl. Prædic., p. 205.

« locis adversus eumdem magistrum suum, et pri-
« mum totius philosophiæ ducem, ex fomite for-
« tassis invidiæ aut ex avaritia nominis, ex mani-
« festatione scientiæ insurrexisse, quibusdam et
« sophisticis argumentationibus adversus ejus sen-
« tentias inhiantem dimicasse, *ut in eo quod de motu*
« *animæ Macrobius meminit.* » Dixerat et idem
alias (1) : « Fidem philosophi prædicant, et im-
« mortalitatem animæ tradunt, futuramque pro me-
« ritis animarum retributionem..... de quibus plura
« loquitur Macrobius. »

Dixerat in introductione ad theologiam (2) :
« Quantum semper philosophia arcana sua nudis
« publicare verbis dedignata sit, et maxime de
« anima, de Diis, per fabulosa quædam involucra
« loqui consueverit, *ille non mediocris philoso-*
« *phus, et magni Ciceronis expositor, Macrobius,*
« *diligentissime docet.* Remotis enim generibus
« figmentorum, sive fabulosorum, quæ philoso-
« phos non decent, supposuit illud quod hones-
« tissime assumunt (3). » Et, dum tantam Ma-
crobio, cujus verba hic refert, auctoritatem tribuit,
aperit simul cur Macrobium testem, quamvis no-
tum et familiarem, non sæpius Scholastici no-
minent. In hoc enim ipso loco se purgat a crimine,

(1) Abæl. Theol. Christ., p. 409, vol. II. Paris, 1849.
(2) Abæl. Introd. ad Theol. p. 47, vol. II. Paris, 1849.
(3) Vid. supra, p. 34.

quod illius testimonium adhibere non dubitaverit.

Sed et præclarior est locus in quo, Macrobianam doctrinam secutus, de Trinitate erravit, scilicet cum, in theologia sua, de Spiritu Sancto disputans, scripsit (1) : « Revolvatur et ille maximus Philosophorum « Plato, ejusque sequaces, qui, testimonia sanctorum « patrum, præ cæteris gentilium philosophis fidei « Christianæ attendentes, totius Trinitatis summam, « post prophetas, patenter ediderunt, ubi videlicet « mentem, quam Noym vocant, ex Deo natam at- « que ipsi coæternam esse perhibent, id est filium, « quem sapientiam Dei dicimus, ex Deo Patre æter- « naliter genitum; qui nec Spiritus Sancti personam « prætermisisse videntur (2), cum animam mundi « esse adstruxerunt, tertiam a Deo et Noy personam. « Ac primum ea diligenter consideremus quæ, a Pla- « tone, de hac anima dicta sunt, a quo cæteri philo- « sophi, qui de anima dixerunt, habuisse creduntur. « Hanc itaque mundi videlicet animam, quasi tertiam « a Deo et Noy personam, distinguens, prolixiori ac « diligentiori descriptione prosequens, eam, tam in « se ipsa quam in effectis suis, integerrima designa- « tione declarat..... Nunc autem illa Platonis verba « de anima mundi diligenter discutiamus, ut in eis « Spiritum Sanctum integerrime designatum esse

(1) Petr. Abæl. Theol. Christ., p. 378, t. II, Paris, 1859.

(2) Non ita Augustinus. Vid. supra, p. 57.

« agnoscamus. » Et, dum istam sententiam explicat Abælardus, manifeste ostendit se Platonem per Macrobium cognovisse, sive animam dicat (1) « quoddam « medium esse, id est mixtum ex individua in se sub« stantia et dividua (2), per conjunctionem corpoream; » sive affirmet (3) bene a philosophis « tam ipsi animæ « mundi, quam superioribus firmamenti partibus sum« mam harmonicæ modulationis (4) suavitatem » assignari. Sed et præcipue quantam Macrobio tribuat auctoritatem ostendit, quum ad ipsam devenit quæstionem, et illum afferens integrum locum de fabulis in philosophia adhibendis, ait (5) : « Ex hac Macrobii « traditione clarum est, ea, quæ a philosophis di« cuntur de anima mundi, per involucrum acci« pienda esse..... Quod si ad involucrum etiam ista « deflectamus, quæ de anima mundi a philosophis « dicta sunt, facile est rationabiliter cuncta accipi, « nec a sacræ fidei tenore exorbitare »........ Latius deinde et subtilius suam explicans sententiam : « Hanc autem, inquit (6), animæ mundanæ doctri« nam præcipue, diligentissimus philosophorum in « expositione, Macrobius, posteris reliquit. Cujus « quidem verba si subtiliter inspiciamus, totam vere

(1) Theolog. Christ., p. 381. Petr. Abæl. op. p. post., Paris, 1859.
(2) Macr. Somn. Scip. Com. lib. I, c. XII. Vid. supra, p. 55.
(3) Theol. Christ., p. 381. Petr. Abæl. op. p. post., Paris, 1859.
(4) Macr. Comm., lib. II, c. II.
(5) Theol. Christ., p. 389. Petr. Abæl. op. p. post., Paris, 1859.
(6) Ibid., p. 390.

« fidem nostram de Spiritu Sancto in ipsis expres-
« sam inveniemus, cum hanc ipsam animam et crea-
« torem nominet, atque ex Deo patre et Noy, hoc
« est Deo filio, eam esse adstruat, eamque nonnun-
« quam Noyn ausus sit appellare. Unde et verba
« Virgilii exponens dicit, de mundana loquens ani-
« ma : *nam et mundo animam dedit, et ut puritati*
« *ejus attestaretur, mentem vocavit.* Ac si diceret
« eam esse ejusdem substantiæ cum ipso Verbo,
« a quo ipsa est..... »

Omnem deinde Macrobii locum de mundana anima per partes referens, et subtilius explicans, ostendere aggreditur philosophos, in his, Spiritum Sanctum, et spiritualem vitam significavisse; quod quidem in extenso hic proferre non necesse est, cum de Abælardi opinione non sit nobis proposita quæstio. Monstrare tantum voluimus quo titulo lectus, et quanti factus fuerit in medio ævo Commentarii auctor, et id quidem patere nobis visum est ex istius disputationis expositione, quam absolvens : « Ipse,
« ait (1), Macrobius ea quæ de anima mundi a
« philosophis dicta sunt, mystice interpretanda esse
« meminit. Quæ etiam cum exponi veraciter aut
« convenienter nullatenus queant, ut supra memini-
« mus, ipsa nos littera ad expositionem mysticam
« compellit. Pluribus quoque sanctorum testimoniis

(1) Abæl. Theol. Christ., p. 393.

« didicimus Platonicam sectam Catholicæ fidei con« cordare, unde, non sine causa, maximus Plato « philosophorum præ cæteris commendatur ab om« nibus, non solum a peritis sæcularium artium, « verum etiam a sanctis. » Alias etiam Macrobium se legisse declarat, seu ad Heloïssam scribat (1) cur raro mulieres inebrientur, seu senarii (2) numeri perfectionem enuntiet, et de numeris (3) disputet, aut de Virgilio (4) loquatur. Quin et illa quæ de quatuor virtutibus, Deo assignatis a Plotino (5), de civitatum definitione (6), de quaternaria virtutum divisione et distinctione (7), de animæ immortalitate (8), disputat, Macrobio auctore, protulit; nec non, post illum, narrat (9) quomodo Eleusinæ Deæ Numenio iratæ apparuerint, quod illorum mysteria vulgaverat, et illa exagitat quæ Macrobius docuit, post Plotinum, de astrorum significatione.

Hæc sunt, inter multa Macrobii, quæ, ab Abælardo desumpta, afferre possumus. Et idem de Bernardo Silvestri (10) facere posse optavissemus, qui perfec-

(1) Abæl. op. Paris, 1849, pars prior, p. 111 et 169.
(2) Id. ibid., p. 664.
(3) Id. ibid., pars posterior, p. 40.
(4) Id. ibid., ibid., p. 45.
(5) Id. ibid., ibid., p. 87.
(6) Id. ibid., ibid., p. 417.
(7) Id. ibid., ibid., p. 682.
(8) Id. ibid., ibid , p. 409.
(9) Id. ibid., ibid., p. 461.
(10) Bernard de Chartres. V. Dictionn. des sciences philosophiques, Paris, 1844 à 1852; et Abælard., op. Paris, 1859, pars posterior.

tissimus inter Platonicos duodecimi seculi, a Joanne Sarresbiensi (1) dictus fuit. Ille enim totus a Macrobio provenire nobis visus est, cum prope nihil sit ex his quæ legimus, ab illius operibus desumpta, quod non Macrobianam doctrinam linguamque omnino redoleat; sed non illius opera in manibus habuimus, et excerpta tantum quædam in appendice operum Abælardi reperimus, e quibus non temere conjecimus nos disjecta Commentarii membra in medii ævi scriptoribus colligere facile potuisse, si res postulavisset, tempusque et librorum copia suppeditavissent.

(1) Jean de Salisbury. V. Dictionnaire des sciences philosophiques, Paris, 1844 à 1852.

X.

Conclusio.

Hæc de Macrobio Ciceronis interprete indagavimus; et, postquam ista philosophiæ vestigia, Somnii Scipionis Commentario impressa, exploravimus, et, quantum nobis datum erat, nova sub luce posuimus, restat ut, concludendo, summatim notemus quid ex hac investigatione exstare arbitremur.

Macrobius, ex Oriente et e græcis scholis ortus, Libanii discipulus, paganorum addictus religioni, et magnis auctus dignitatibus, circa primos quinti seculi annos in Occidente floruit. Etsi absolutum et perfectum nobis reliquit Somnii Scipionis Commentarium, in quo universam declarat contineri philosophiam, non idcirco philosophus dici potest; sed tamen legendus est, ut qui philosophiæ historiam pro parte illustret; his enim temporibus scripsit, quibus nullum aliud philosophiæ vestigium apud Profanos in Occidente invenitur. Magna instructus eruditione, et ingenii acumine pollens, adeo ut merito inter philosophiæ professores annumeretur, nobis tradit ea quæ vulgo, in Occidente, a Profanis tum do-

cebantur, cum jam antiquus rerum labaret ordo, et nova inter ruinas propagaretur ac invalesceret religio. Animarum immortalitatem ut probaret, Platonicorum, id est Alexandrinorum, placitis usus, Somnium Scipionis interpretatus est. Inter hæc vero quæ tradit, ipse prope nihil, quod proprium vindicare possit, invenit, sed illa quæ docet e notis et publicis fontibus hausit. Operæ igitur pretium est istos fontes inquirere et designare, ut inde planius et rectius judicetur simul, et unde descenderit, et quo tunc devenerit apud Latinos Philosophia. Etenim medii ævi scriptoribus pernotus fuit Macrobius, et Scholasticorum multos, Platonis nomine et auctoritate, in errorem inducere potuit; unde fit ut nonnullius momenti sit, ad illustrandam philosophiæ historiam, cognoscere et quam scientiam et quos errores, sub Platonicorum nomine, Commentario suo infuderit posterisque transmiserit.

Et, quoniam in tam multiplici tamque varia suppellectile, quam Somnium Scipionis explicaturus comparavit, indigesta quædam moles tenebras operi obducit, seorsum et vicissim tres philosophiæ partes, quas in fine Commentarii indicat, evolvere placuit: naturalem scilicet, rationalem et moralem.

In naturali philosophia, de numeris, de geometria, de musica, de sphærarum concentu, de solis principatu, de cœli et terræ descriptione, Platonicorum placita retulit, quæ longe a nostris plerumque

discrepant. In quibus alia pressius, alia latius, pleraque confusius descripta, rudem adhuc scientiam, observationis expertem, et methodo certa carentem produnt, quam aliquoties temere excerpsisse magis quam intellexisse videtur Macrobius, si modo astronomiam excipias, in qua, habita quidem temporum ratione, excelluit. Illa autem, qualiscumque exstitit scientia, quæ parum, a Ciceronis temporibus ad Macrobii tempora, profecisse videtur, magni æstimata in medio ævo, apud Scholasticos recepta et vulgata fuit.

In rationali philosophia, de Deo, de anima, de mundi aut animæ immortalitate, de animarum sorte post mortem, ista præcepit quæ clare satis ostendunt quos auctores secutus fuerit; quod item de morali philosophia dici potest. Manifestum est enim, sive ipsum profitentem audiamus, sive sententias quas protulit scrutemur, illum multa ab ipso Platone, multa a Pythagoricis et a Platonicis, pleraque autem a Plotino et a Porphyrio desumpsisse. Ista vero, non ad verbum expressa, ut quæ ab ipsis magistrorum operibus translata fuerint, in Commentario reperiuntur, sed ut quæ ab istorum discipulis, seu scriptis, seu ore transmissa, defluxerint.

Magistrorum vero, quos secutus est, neque propositi neque methodi conscius fuit. Platonem ducem habere tantum et Platonicus dici gloriatur, dum Plotinum, Porphyrium, illorumque discipulos cæca fide sequitur; unde facile intelligi potest

quantum Scholasticos hoc nomine deceperit. Erroris nempe illius semina profert inscius, qui Realismi, et, posterius, Pantheismi nomine designatus fuit. In ejus Commentario, quasi in speculo vetustatis rubigine obscurato, ultimi apparent conatus quibus ad altiora de Deo, de mundo, de anima, de virtute excogitanda, hominum ratio assurgere tentavit, cum jam lassa, suique ipsius oblita, in hoc supremo conamine retro cessura videretur. Ista vero, quæ profert, ostendunt quasi effœtam ea ætate in Occidente exstitisse philosophiam, quæ, adeo non ab antiquis Græciæ temporibus usque ad Macrobii tempora profecit, ut contra ea ipsa obscuret quæ, veluti dogmata quædam, transmittit. Plura habuit quæ eligeret et doceret, sed non altiora et certiora docuit de his quæ noscendi cupidam mentem sollicitant, quæque hodie (1) integra ex integro agitantur.

In hoc autem peccat et maxime infirmitatem suam prodit philosophia apud Macrobium quod, non dubitare aut exagitare, non inquirere aut dijudicare, non ratione et via procedere, sed Platonicorum placita eligere tantum et tradere curæ habet, et memoriam potius quam rationem ducem sequi videtur. Multiplicem sane et variam rerum quas tractat scientiam reperimus apud Commentarii auctorem; sed ille in hoc simul

(1) V. Caro : Idée de Dieu, Paris, 1864; P. Janet : La Crise philosophique et les idées spiritualistes en France ; Revue des Deux-Mondes, 1864 ; et Charles Lévêque : Études de philosophie grecque et latine, Paris, 1864.

ingenii sui scholæque suæ imbecillitatem quamdam, aut temporis sui infelicitatem, testatur, quod non satis dignoscit, sed confusius transmittit omnia quæ ab aliis accepit, dum eadem apud Christianos, longe ingenio et auctoritate præstans, agitat Augustinus. Ad fidem quamdam Platonicam stabiliendam, potius quam ad veri disquisitionem instituendam, spectant omnia quæ tradit, et tenor ipse quo docentur. Philosophiam igitur, quam jactantius totam in Somnio Scipionis contineri declarat, quamque in Commentarium suum inferre voluit, vidimus, tunc temporis, in Occidente, non sui satis consciam, Deorum religioni quam frustra fulcire conata est arctius adjunctam, jamque umbris involutam, ad occasum vergere. Quomodo sordescere et cedere cœperit philosophia, quomodo autem stabiliri et regnare valuerint theologica dogmata inde intelleximus. Simul et nos acrior subiit imbecillitatis humanæ sensus, cum Macrobium vidimus superbius prædicantem et docentem, ut qui verum in omni re scibili possideret. Optaverimus illum cum Platone (1), cum Cicerone (2), cumque

(1) Ἐὰν οὖν, πολλὰ πολλῶν εἰπόντων περὶ θεῶν καὶ τῆς τοῦ παντὸς γενέσεως, μὴ δυνατοὶ γιγνώμεθα πάντη πάντως ἂν τοὺς αὐτοῖς αὐτοὺς ὁμολογουμένους καὶ ἀπηκριβωμένους λόγους ἀποδοῦναι, μὴ θαυμάσῃς. Ἀλλ' ἐὰν ἄρα μηδενὸς ἧττον παρεχώμεθα εἰκότως, ἀγαπᾷν χρὴ, μεμνημένον ὡς ὁ λέγων, ὑμεῖς τε οἱ κριταὶ, φύσιν ἀνθρωπίνην ἔχομεν · ὥστε περὶ τούτων τὸν εἰκότα μῦθον ἀποδεχομένους, πρέπει μηδὲν ἔτι πέρα ζητεῖν. (Plat. Tim., p. 86, t. I; éd. H. Martin.)

(2) Quid tam indignum est sapientis gravitate, quam quod non satis explorate perceptum sit et cognitum, sine ulla dubitatione defendere? (Cic. de nat. Deorum, p. 1.)

Seneca (1) modestius sentire, neque his omnibus tam facile contentum esse quæ sua effecit et tradidit.

Macrobius tamen, qualemcumque eum et tempora et scholæ, et propria naturæ vis effecerunt, non inutilem neque spernendum Somnii Scipionis Commentarium reliquit, utpote qui ultima Platonicæ sectæ in Occidente apud Profanos vestigia retineat, et, incomptas, sed stantes reliquias ostendat, ex quibus simul et quanti facta, et quam sterilis per se fuerit Alexandrinorum philosophia dijudicari possit, cujus quidem placita, ut meram Platonis doctrinam, serus noster Ciceronis interpres ad medii ævi scriptores detulit.

(1) Nobis rimari illa et conjectura ire in occulto tantum licet, nec cum fiducia inveniendi, nec sine spe... Egregie Aristoteles ait nunquam nos verecundiores esse debere, quam quum de Diis agitur... Nec miremur tam tarde erui quæ tam alte jacent... (Senec. Quæst. natur., XXX et XXXI.)

APPENDIX.

Macrobii, de animæ spontaneo motu et immortalitate, adversus Peripateticos disputatio.

Integram hanc disputationem referre, quæ a Phædro Platonis originem ducit, quæque omnia Peripateticorum et Platonicorum argumenta, de animæ spontaneo motu et immortalitate, continet, utile arbitrati sumus; illam enim neque prætermittere voluimus(1), neque scindere aut coarctare potuimus, ne tota corrueret, si alia forma, alio tenore repræsentaretur, quæ scilicet tenore ipso et forma commendatur; ideo enim legenda est quod Scholasticarum disputationum originem quamdam et exemplar præbet, sicut et totus Commentarius Platonicæ theologiæ corpus quoddam præbere nobis visus est. In ipsa

(1) Vid. supra p. 59.

autem argumentorum serie, non illam inesse vim et auctoritatem agnoscimus, quibus omnino devinci videtur Macrobius. Animadvertimus enim omnes istius disputationis syllogismos, in hoc niti, quod attentius observari, et pressius definiri deberet, ut argumentationis velut certum et inconcussum fundamentum staret. Multa præterea, pro veris et compertis afferuntur, quæ longe a vero sunt, et quæ recentes mathematicorum, physicorum aut medicorum labores novo lumine illustraverunt. Ista igitur, utcumque se dabit occasio, brevibus notis indicabimus, adjectis etiam quibusdam quæ Janus diligenter investigavit ut, quantum fieri potest, Græci disputationis hujusce fontes indicarentur.

De tribus ratiocinandi modis quibus immortalitatem animæ asseruere Platonici (1).

« Quod semper movetur æternum est : quod autem « motum affert alicui, quodque ipsum agitatur aliunde, « quando habet finem motus, vivendi finem habeat ne- « cesse est. Solum igitur quod se ipsum movet, quia « nunquam deseritur a se, nunquam ne moveri quidem « desinit; quin etiam cæteris, quæ moventur, hic fons, « hoc principium est movendi. Principii autem nulla est « origo. Nam e principio oriuntur omnia : ipsum autem « nulla ex re alia nasci potest. Nec enim esset principium « quod gigneretur aliunde; quod si non oritur, nec occidit « quidem unquam : nam principium exstinctum, nec ip- « sum ab alio renascetur, nec ex se aliud creabit, siquidem « necesse est a principio oriri omnia. Ita fit, ut motus « principium ex eo sit, quod ipsum a se movetur. Id au- « tem nec nasci potest, nec mori; vel concidat omne « cœlum, omnisque natura consistat (2) necesse est, nec « vim ullam nanciscatur, qua a primo impulsu moveatur. « Cum pateat igitur, æternum id esse, quod ipsum se

(1) Macr. Comm. in Somn. Scip. Lib. II, c. XIII.

(2) Quibus legibus moveatur cœlum recentiores Mathematici (Képler et Newton) docuerunt; quibus et legibus multa moveantur in natura recentes physici docent; quarum legum auctorem et principium Deum Christiani profitentur, de cujus essentia multa apud philosophos agitantur; sed quam longe simus ab hoc motus principio quod ipsum a se moveatur, et a Platonica, de anima mundi, doctrina, quis non animadvertat?

« moveat, quis est qui hanc naturam animis esse tribu-
« tam neget ? Inanimum est enim omne, quod pulsu
« agitatur externo. Quod autem est anima, id motu cie-
« tur interiore et suo. Nam hæc est propria natura animæ(1)
« atque vis. Quæ si est una ex omnibus, quæ se ipsa mo-
« veat, neque nata certe est, et æterna est.

« Omnis hic locus de Phædro Platonis ad verbum a
« Cicerone (2) translatus est, in quo, validissimis argu-
« mentis, animæ immortalitas adseritur : et hæc est argu-
« mentorum summa, esse animam mortis immunem,
« quoniam ex se movetur. Sciendum est autem quod
« duobus modis immortalitas intelligitur. Aut enim ideo
« est immortale quid, quia per se non est capax mortis,
« aut quia procuratione alterius (3) a morte defenditur.
« Ex his prior modus ad animæ, secundus ad mundi
« immortalitatem (4) refertur. Illa enim, suapte natura,
« a conditione mortis aliena est : mundus vero animæ
« beneficio in hac vitæ perpetuitate retinetur. Rursus
« semper moveri dupliciter accipitur. Hoc enim dicitur,
« et de eo quod ex quo est semper movetur, et de eo quod
« semper et est et movetur : et secundus modus est quo
« animam dicimus semper moveri.

« His præmissis, jam quibus syllogismis de immor-
« talitate animæ diversi Platonis sectatores ratiocinati

(1) Ab animæ *vi* et *natura* omnis quidem pendet quæstio, quæ non affirmari sed comprobari deberet, ut certo fundamento stabiliretur argumentatio. Animam essentiam se moventem definivit Plato, sed, de animæ definitione, quam multa et varia ab antiquis allata fuerint ipse nos docuit Macrobius. De animæ definitione et de spontaneo animalium motu longe inter se diversa recentes medici et philosophi docuerunt; multum igitur abest ut fides adhiberi possit argumentationi quæ tam incertis et tam disputatis nititur. Vid. apud Charles Lévêque (Études de Philosophie grecque et latine, Paris, 1864), ea quæ nunc de hac quæstione agitantur.

(2) Verba ea Platonis cum Cicerone confert Ant. Muretus Var. VIII, 3. (Gron.)

(3) Non immortale id dici potest quod non per se immortale est.

(4) Refertur quidem, sed falso.

« sint oportet aperiri. Sunt enim qui, per gradus syllogis-
« morum, ad unum finem probationis evadunt, certam
« sibi propositionem sequentis, ex antecedentis conclu-
« sione, facientes. Apud quos hic prior est : Anima ex se
« movetur : quidquid autem ex se movetur semper mo-
« vetur : igitur anima semper movetur. Secundus ita,
« qui nascitur ex prioris fine : Anima semper movetur :
« quod autem semper movetur immortale est : igitur
« anima immortalis est. Et ita, in duobus syllogismis, duæ
« res probantur, id est et semper moveri animam, ut in
« priore, et esse immortalem, ut colligitur de secundo.
« Alii vero usque ad tertium gradum ita argumentando
« procedunt :

« Anima ex se movetur : quod autem ex se movetur,
« principium est motus: igitur anima principium est motus.
« Anima principium est motus : quod autem principium
« motus est, natum non est : igitur nata non est. Ani-
« ma nata non est : quod natum non est, immortale est :
« igitur anima immortalis est. Tertii omnem ratiocina-
« tionem suam in unius Syllogismi compendium rede-
« gerunt : Anima ex se movetur; quod ex se movetur
« principium motus est; quod principium motus est, na-
« tum non est; quod natum non est, immortale est: igitur
« anima immortalis est.

Quibus rationibus (1) *Aristoteles, contra Platonem, monstrare voluerit animam a se ipsa moveri non posse* (2).

« Sed harum omnium ratiocinationum apud eum potest
« postrema conclusio, de animæ immortalitate, constare,
« qui primam propositionem, id est, animam ex se mo-
« veri, non refellit. Hac enim in fide non recepta, debilia

(1) Peripateticorum argumenta italicis litteris, in hac disputatione, designavimus.

(2) Macr. Comm. Lib. II, c. XIV.

« fiunt omnia quæ sequuntur. Sed huic Stoicorum « quidem accedit assentio : Aristoteles (1) vero adeo « non acquiescit, ut animam non solum non ex se moveri, « sed ne moveri quidem penitus conetur asserere (2)..... « *Si enim anima*, inquit, *principium motus est*, *doceo* « *non posse principium motus moveri*..... Postquam Aris- « toteles docuit aliquid esse immobile, hoc esse animam « vult dicere; et incipit asserere : Nihil esse quod ex se mo- « veri possit; sed omnia quæ moventur ab alio mo- « veri (3). Quod si vere probasset, nihil ad patrocinium « Platonicæ sectæ relinqueretur; quemadmodum enim « credi posset ex se moveri animam, si constaret nihil « esse, quod ex se possit moveri? In hac autem aristote- « lica argumentatione hujusmodi divisionis ordo con- « texitur :

« *Ex omnibus*, *quæ moventur*, inquit, *alia per se* « *moventur*, *alia ex accidenti* (4); *et ex accidenti* inquit, « *moventur*, *quæ*, *cum ipsa non moveantur*, *in eo tamen* « *sunt*, *quod movetur* : *ut in navi sarcina*, *seu vector* « *quiescens* (5); *aut etiam quum pars movetur*, *quiescente*

(1) A. Stahrius, in libro qui inscriptus est : *Aristoteles bei den Römern*, ait pleraque quæ proferuntur in hoc et sequentibus duobus capitibus, videri desumpta ex Aristotelis libris, qui sunt de rebus naturalibus et de anima. Plurima sane invenias in φυσικῆς ἀκροάσεως, libris VII et VIII, et in libro primo περὶ ψυχῆς, at non omnia, neque eodem ordine pertractata, ut videatur Macrobius non ipsius Aristotelis libros ante oculos habuisse, sed secutus esse Platonicos, quorum placita defendit.

(2) Aristoteles in principio capitis 3 de anima : Ἐπισκεπτέον δὲ πρῶτον μὲν περὶ κινήσεως · ἴσως γὰρ οὐ μόνον ψεῦδός ἐστι τὸ τὴν οὐσίαν αὐτῆς τοιαύτην εἶναι, οἵαν φασὶν οἱ λέγοντες ψυχὴν εἶναι τὸ κινοῦν ἑαυτὸ ἢ δυνάμενον κινεῖν, ἀλλ' ἕν τι τῶν ἀδυνατων τὸ ὑπάρχειν αὐτῇ κίνησιν. Cum iis quæ deinde sequuntur comparari possunt Phys. VIII, c. 4, 5, 6 ; sed ipsa Aristotelis argumentatio nusquam invenitur.

(3) Conf. Phys. VIII, c. 4. Ἅπαντα ἂν τὰ κινούμενα ὑπό τινος κινοῖτο, quæ sententia tractatur fusius, c. 5.

(4) Conf. Phys. VIII, c. 4 init. et de an. I, 3, init.

(5) Aristot. de an. I, ὅσα κινεῖται τῷ ἐν κινουμένῳ εἶναι οἷον πλωτῆρες, οὐ γὰρ ὁμοίως κινοῦνται τῷ πλοίῳ... Ibid. II, 1, Εἰ οὕτως ἐντελεχεία τοῦ σώματος ἡ ψυχὴ, ὥσπερ πλωτὴρ πλοίου.

« *integritate : ut si quis stans pedem manumve vel ca-* « *put agitet. Per se autem movetur, quod, neque ex acci-* « *denti, neque ex parte, sed et totum simul movetur; ut* « *cum ad superiora ignis adscendit* (1); *et de his quidem,* « *quæ ex accidenti moventur, nulla dubitatio est quin* « *ab alio moveantur. Probabo autem,* inquit, *etiam ea,* « *quæ per se moventur, ab alio moveri. Ex omnibus* « *enim,* ait, *quæ per se moventur, alia causam motus in-* « *tra se possident , ut animalia, ut arbores* (2), *quæ sine* « *dubio ab alio intelliguntur moveri, a causa scilicet, quæ* « *in ipsis latet; nam causam motus ab eo, quod movetur,* « *ratio sequestrat : alia vero aperte ab alio moventur, id* « *est, aut vi, aut natura. Et vi dicimus moveri omne ja-* « *culum* (3), *quod, cum de manu jaculantis recesserit, suo* « *quidem motu ferri videtur; sed origo motus ad vim* « *refertur..... Natura vero moventur vel gravia, cum per* « *se deorsum, vel levia, cum sursum feruntur. Sed et hæc* « *dicendum est ab alio moveri, licet, a quo, habeatur* « *incertum. Ratio enim,* ait, *deprehendit esse nescio quid,* « *quod hæc moveat. Nam si sponte moverentur, sponte* « *etiam starent : sed nec unam viam semper agerent; imo* « *per diversa moverentur, si spontaneo ferrentur agitatu.* « *Cum vero hoc facere non possint, sed levibus semper* « *ascensus et gravibus descensus sit deputatus, apparet* « *eorum motum ad certam et constitutam naturæ necessi-* « *tatem referri.*

« Hæc sunt et his similia, quibus Aristoteles omne quod « movetur, ab alio moveri probasse se credidit. Sed Pla- « tonici, ut paulo post demonstrabitur , argumenta hæc,

(1) Conf. Phys. VIII, 2. Οἷον τὸ πῦρ ἄνω φέρεται.

(2) Phys. VIII, 4, ἔοικε γὰρ... καὶ ἐν τοῖς ζώοις εἶναι διῃρημένον τὸ κινοῦν καὶ τὸ κινούμενον, καὶ οὕτω τὸ πᾶν αὐτὸ ἑαυτὸ κινεῖν· et c. 5 : ἔνεισιν ἄλλαι κινήσεις φυσικαὶ τοῖς ζώοις, ἃς οὐ κινοῦνται δι' ἑαυτῶν, οἷον αὔξησις, ἀναπνοή... Et de an. I, 5 et II, 3. De spontaneo animalium motu vid. P. Petit, Paris, 1660.

(3) Hoc exemplum non invenitur apud Aristotelem.

« arguta magis, quam vera esse docuerunt. Nunc sequens « ejusdem jungenda est divisio, qua non posse animam « ex se moveri, etiamsi hoc alia res facere posset, laborat « ostendere. Et hujus rei primam propositionem ab aliis « mutuatur, quæ sibi æstimat constitisse. Sic enim ait : « *Cum igitur omne, quod movetur, constet ab alio mo-* « *veri; sine dubio id quod primum movet, quia non ab* « *alio movetur (neque enim haberetur jam primum, si ab* « *alio moveretur), necesse est,* inquit, *ut aut stare di-* « *catur, aut se ipsum movere. Nam si ab alio moveri di-* « *catur, illud quoque, quod ipsum movet, dicetur ab alio* « *moveri et illud rursus ab alio : et in infinitum ista* « *inquisitio casura est : nunquam exordia prima repe-* « *ries* (1), *si semper aliud ea, quæ putaveris prima, præ-* « *cedit. Restat igitur,* inquit, *ut, si quod primum movet,* « *non dicatur stare, ipsum se movere dicatur : et sic* « *erit, in uno eodemque, aliud, quod movet, aliud, quod* « *movetur* (2) ; *si quidem in omni,* ait, *motu, tria hæc sint* « *necesse est* (3) : *id quod movet, et quo movet, et quod* « *movetur; ex his quod movetur, tantum movetur, non* « *etiam movet : cum illud, quo fit motus, et moveatur* « *et moveat; illud vero, quod movet, non etiam movea-* « *tur : ut ex tribus sit commune quod medium, duo* « *vero sibi contraria intelligantur. Nam sicut est quod* « *movetur et non movet, ita est,* inquit, *quod movet et* « *non movetur; propter quod diximus, quia, cum omne* « *quod movetur ab alio moveatur, si quod movet et ip-* « *sum movetur, quæramus semper motus hujus, nec un-* « *quam inveniamus exordium. Deinde, si quid se movere*

(1) Phys. VIII, init. ἀδύνατον γὰρ εἰς ἄπειρον ἰέναι τὸ κινοῦν καὶ τὸ κινούμενον ὑπ' ἀλλοῦ ἀυτὸ. Τῶν γὰρ ἀπείρων οὐκ ἔστιν οὐδὲν πρῶτον.

(2) Phys. VIII, 5, εἴπερ ἡ ὅλη αὑτὴ ἑαυτὴν κινεῖ, τὸ μὲν κινήσει αὑτῆς, τὸ δὲ κινηθήσεται.

(3) Phys. VIII, 5. Τρία γὰρ ἀνάγκη εἶναι, τό τε κινούμενον, καὶ τὸ κινοῦν, καὶ τὸ ᾧ κινεῖ, etc.

« *dicatur*, *necesse est*, inquit, *ut totum a toto* (1), *aut* « *partem a parte*, *aut partem a toto*, *aut totum a parte* « *existimemus moveri : et tamen motus ille*, *seu a toto*, *seu* « *a parte procedat*, *alterum sui postulabit auctorem.*

« Ex his omnibus, in unum Aristotelica ratiocinatio tota « colligitur hoc modo : *Omne quod movetur ab alio move-* « *tur : quod igitur primum movet*, *aut stat*, *aut ab alio et* « *ipsum movetur : sed si ab alio*, *jam non potest hoc pri-* « *mum vocari*, *et semper quod primum moveat require-* « *mus : restat ut stare dicatur : stat igitur quod primum* « *movet* (2). Contra Platonem ergo, qui dicit animam « motus esse principium, in hunc modum componitur « syllogismus : *Anima principium motus est : principium* « *autem motus non movetur : igitur anima non movetur.* « Et hoc est quod primo loco violenter objecit, nec eo « usque persuadere contentus animam non moveri, aliis « quoque rationibus, non minus violentis, perurget : *Nul-* « *lum*, inquit, *initium idem potest esse ei cujus est ini-* « *tium. Nam apud geometras principium lineæ punctum* « *esse dicitur*, *non linea : apud arithmeticos principium* « *numeri non est numerus. Item causa nascendi ipsa non* « *nascitur . et ipsa ergo motus causa vel initium non* « *movetur : ergo anima*, *quæ initium motus est*, *non mo-* « *vetur* (3). Additur hoc quoque : *Nunquam*, inquit, « *fieri potest*, *ut circa unam eamdemque rem*, *uno eo-* « *demque tempore*, *contrarietates*, *ad unum idemque per-* « *tinentes*, *eveniant ; scimus autem*, *quia movere facere* « *est*, *et moveri pati est : ei igitur quod se movet simul* « *evenient duo sibi contraria*, *et facere et pati* (4) : *quod* « *impossibile est : anima igitur non potest se movere.*

(1) Phys. VIII, c. 5, τὸ γὰρ ὅλον εἰ κινεῖται αὐτὸ ὑφ' ἑαυτοῦ, ἤτοι ὑπὸ τῶν αὑτῶν τινος κινηθήσεται, ἢ ὅλον ὑπὸ ὅλου, etc.

(2) Phys. VIII, c. 6, καὶ τὸ πρῶτον κινοῦν ἀκίνητον.

(3) Conf. Aristot. Phys. VIII, et 5 et De an. III, 10.

(4) Conf. id. De an. I, 3 ; et Phys. VIII, 4.

« Item dicit : *Si animæ essentia motus esset, nunquam* « *quiesceret a motu* (1)*; nihil est enim quod recipiat es-* « *sentiæ suæ contrarietatem; nam ignis nunquam frigi-* « *dus erit, nec nix sponte unquam calescet : anima autem* « *nonnunquam a motu cessat, non enim semper corpus* « *videmus agitari : non igitur animæ essentia motus est,* « *cujus contrarietatem receptat.* Ait etiam : *Anima, si aliis* « *causa motus est, ipsa sibi causa motus esse non poterit :* « *nihil est enim,* inquit, *quod ejusdem rei sibi causa sit,* « *cujus est alii; ut medicus, ut exercitor corporum, sani-* « *tatem vel valentiam, quam ille ægris, hic luctatoribus* « *præstat, non utique ex hoc etiam sibi præstant.* Item « dicit : *Omnis motus ad exercitium sui instrumento eget,* « *ut singularum artium usus docet : ergo videndum, ne* « *et animæ ad se movendum instrumento opus sit : quod* « *si impossibile judicatur, et illud impossibile erit, ut* « *anima ipsa se moveat.* Item dicit : *Si movetur anima,* « *sine dubio, cum reliquis motibus, et de loco et in locum* « *movetur. Quod si est, modo corpus ingreditur, modo* « *rursus egreditur* (2), *et hoc frequenter exercet; sed hoc* « *videmus fieri non posse : non igitur movetur.*

« His quoque addit : *Si anima se movet, necesse est, ut* « *aliquo motus genere* (3) *se moveat : ergo aut in loco se* « *movet, aut se ipsam pariendo se movet, aut se ipsam* « *consumendo, aut se augendo aut se minuendo : hæc* « *sunt enim,* ait, *motus genera. Horum,* inquit, *singula* « *quemadmodum possint fieri, requiramus. Si in loco se* « *movet, aut in rectam lineam se movet, aut sphærico* « *motu in orbem rotatur. Sed recta linea infinita nulla*

(1) Conf. De an. I. 3, εἰ δ' ἐστὶν ἡ οὐσία τῆς ψυχῆς τὸ κικεῖν ἑαυτὴν, οὐ κατὰ συμβεβηκὸς αὐτῇ τὸ κινεῖσθαι ὑπάρξει, et paulo infra : ἔνιοι δὲ καὶ κινεῖν φασί τὴν ψυχὴν τὸ σῶμα ἐν ᾧ ἐστὶν, ὥσπερ αὐτὴ κινεῖται... ἡμεῖς δὲ ἐρωτήσομεν εἰ καὶ ἠρέμησιν ποιεῖ ταὐτὰ ταῦτα. Πῶς δὲ ποιήσει, χαλεπὸν ἢ καὶ ἀδύνατον εἰπεῖν. Cætera non inveniuntur apud Aristotelem.

(2) Conf. De an. I, 3.

(3) Conf. De an. I, 3 et Phys. VII, 2.

« *est; nam quæcumque in natura intelligatur linea, quo-* « *cumque fine, sine dubio, terminatur : si ergo per li-* « *neam terminatam se movet anima, non semper move-* « *tur; nam cum ad finem venitur, et inde rursus in exor-* « *dium reditur, necesse est interstitium motus fieri in ipsa* « *permutatione redeundi. Sed nec in orbem rotari potest,* « *quia omnis sphæra circa aliquid immobile quod cen-* « *tron vocamus, movetur : si ergo et anima sic movetur,* « *aut intra se habet quod immobile est, et ita fit ut non* « *tota moveatur, aut, si non intra se, sequetur aliud non* « *minus absurdum, ut centron foris sit, quod esse non* « *poterit : constat ergo, ex his,* ait, *quod in loco se non* « *moveat. Sed si ipsa se parit, sequitur, ut eamdem et* « *esse et non esse dicamus : si vero se ipsa consumit, non* « *erit immortalis : quod si se aut auget aut minuit, ea-* « *dem simul et major se et minor reperietur.* Et ex his « talem colligit syllogismum : *Si anima se movet, aliquo* « *motus genere se movet : nullum autem motus genus* « *quo se moveat invenitur : non se igitur movet.*

Platonicorum adversus Aristotelem argumenta (1).

« Contra has tam subtiles, et argutas et verisimiles « argumentationes, accingendum est secundum sectatores « Platonis, qui incœptum, quo Aristoteles tam veram tam- « que validam definitionem magistri sauciare tentaverat, « subruerunt. Neque vero tam immemor mei, aut ita male « animatus sum ut, ex ingenio meo, vel Aristoteli resistam, « vel adsim Platoni : sed ut quisque magnorum virorum, « qui se Platonicos dici gloriabantur, aut singula aut bina « defensa ad ostentationem suorum operum reliquerunt, « collecta hæc in unum continuæ defensionis corpus coa- « cervavi ; adjecto, si quid post illos aut sentire fas erat, « aut audere in intellectum licebat. Et quia duo sunt, quæ « asserere conatus est, unum quo dicit *nihil esse quod ex se*

(1) Macr. Comm. lib. II, c. xv, et xvi.

« *moveatur*, alterum quo *animam hoc esse non posse* con- « firmat, utrique resistendum est, ut et constet posse ali- « quid ex se moveri, et animam hoc esse clarescat.

« In primis, igitur, illius divisionis oportet nos cavere « præstigias, in qua, enumerans aliqua quæ ex se moventur, « et ostendens illa quoque ab alio moveri, id est a causa in- « terius latente, videtur sibi probasse omnia quæ moven- « tur, etiamsi ex se moveri dicantur, ab alio tamen moveri. « Hujus enim rei pars vera est, sed est falsa conclusio. Nam « esse aliqua quæ, cum ex se moveri videntur, ab alio « tamen constat moveri, nec nos diffitemur ; non tamen « omnia quæ ex se moventur hoc sustinent, ut ab alio ea « moveri necesse sit. Plato enim cum dixit animam ex se « moveri, id est cum ἀυτοκινητικόν vocat (1), non vult eam « inter illa numerari quæ ex se quidem videntur moveri, sed « a causa quæ intra se latet moventur : ut moventur ani- « malia, auctore quidem alio, sed occulto, nam ab anima « moventur : aut ut moventur arbores, quarum etsi non « videtur agitator, a natura tamen eas interius latente « constat agitari : sed Plato ita animam dicit ex se moveri, « ut non aliam causam vel extrinsecus accidentem vel in- « terius latentem hujus motus dicat auctorem. Hoc quem- « admodum accipiendum sit, instruemus. Ignem cali- « dum vocamus, sed et ferrum calidum dicimus : et ni- « vem frigidam et saxum frigidum nuncupamus : mel dul- « ce, sed et mulsum dulce vocitamus : horum tamen sin- « gula de diversis diversa significant. Aliter enim de igne, « aliter de ferro, calidi nomen accipimus : quia ignis per se « calet, non ab alio fit calidus ; contra ferrum non nisi « ex alio calescit : ut nix frigida, ut mel dulce sit non

(1) Conf. Phædr. εἰ δ' ἔστι τοῦτο οὕτως ἔχον μὴ ἄλλο τε εἶναι τὸ αὐτὸ ἑαυτὸ κινοῦν ἢ ψυχὴν, ἐξ ἀνάγκης ἀγένητον καὶ ἀθάνατον ψυχὴ ἂν εἴη, et supra legitur ψυχὴ πᾶσα ἀθάνατος, τὸ γὰρ ἀεικίνητον ἀθάνατον. Vox αὐτοκίνητον apud Platonem non invenitur. Plutarchus, de plac. phil. IV, 2, Thaleti eam tribuit, idemque ibi dicit Platonem statuere animam οὐσίαν νοητὴν ἐξ ἑαυτῆς κινητήν.

« aliunde contingit; saxo tamen frigus, vel mulso dul-« cedo, a nive vel melle proveniunt. Sic et stare et moveri « tam de his dicitur quæ, ab se, vel stant vel moventur, « quam de illis, quæ vel sistuntur vel agitantur ex alio : sed « quibus moveri ab alio vel stare contingit, hæc et stare « desinunt et moveri : quibus autem item est et esse et « moveri, nunquam a motu cessant, quia sine essentia « sua esse non possunt : sicut ferrum amittit calorem, « ignis vero calere non desinit. Ab se ergo movetur ani-« ma, licet et animalia vel arbores per se videantur mo-« veri : sed illis, quamvis interius latens, alia tamen cau-« sa, id est anima vel natura, motum ministrat ; ideo et « amittunt hoc quod aliunde sumpserunt : anima vero « per se ita movetur, ut ignis (1) per se calet, nulla adven-« titia causa vel illum calefaciente vel hanc movente. « Nam, cum ignem calidum dicimus, non duo diversa « concipimus, unum quod calefacit, alterum quod calefit, « sed totum calidum secundum suam naturam vocamus : « cum nivem frigidam, cum mel dulce appellamus, non « aliud quod hanc qualitatem præstat, aliud cui præstatur « accipimus. Ita et, cum animam per se moveri dicimus, « non gemina consideratio sequitur moventis et moti, sed « in ipso motu essentiam ejus agnoscimus, quia quod est « in igne nomen calidi, in nive vocabulum frigidi, appel-« latio dulcis in melle, hoc necesse est de anima αὐτο-« κινήτου nomen intelligi, quod latina conversio significat « *per se moveri*. Nec te confundat quod moveri passi-« vum verbum est : .... moveri licet passivum sonet, « quando tamen nihil inest faciens, patiens inesse non « poterit.... Ergo et moveri idem in significatione est « quod calere; et cum ferrum calere dicimus vel stylum « moveri, quia utrinque hoc aliunde provenit, passionem

(1) Quid sit ignis, quid sit anima pariter ambigitur. De caloris fontibus quam distant Platonici a recentioribus physicis !

« esse fateamur : cum vero aut ignis calere, aut moveri « anima dicitur, quia illius in calore et hujus in motu es- « sentia est, nullus hic locus relinquitur passioni, sed ille sic « calere sicut moveri ista dicetur.

« Hoc loco Aristoteles, argutam de verbis calumniam « sarciens, Platonem quoque ipsum duo, id est quod movet « et quod movetur, significasse contendit, dicendo : Solum « igitur quod se ipsum movet, quia nunquam deseritur a « se, nunquam ne moveri quidem desinit (1) ; et aperte « duo illum expressisse proclamat his verbis : *quod movet* « et *moveri*. Sed videtur mihi vir tantus (2) nihil ignorare « potuisse, sed in exercitio argutiarum talium conniven- « tem sibi operam sponte lusisse. Ceterum quis non adver- « tat, cum quid dicitur se ipsum movere, non duo intelli- « genda ? Sicut et cum dicitur ἑαυτὸν τιμωρούμενος, id est « se puniens, non alter qui punit, alter est qui punitur.... « sic et de αὐτοκινήτῳ cum dicitur se ipsum moveri, ad hoc « dicitur ut æstimationem alterius moventis excludat. « Quam volens Plato de cogitatione legentis eximere, his « quæ præmisit expressit. Nam quod semper, ait, movetur « æternum est ; quod autem motum affert alicui quodque « ipsum movetur aliunde, quando finem habet motus, vi- « vendi finem habeat necesse est. Quid his verbis inve- « nietur expressius, clara significatione testantibus non « aliunde moveri quod se ipsum movet, cum animam ob « hoc dicat æternam quia se ipsam movet et non movetur « aliunde ? Ergo se movere hoc solum significat non ab alio « moveri : nec putes, quod idem moveat idemque movea- « tur, sed moveri sine alio movente se movere est. Aperte « ergo constitit, quia non omne quod movetur ab alio mo-

(1) Phædr. Μόνον δὴ, τὸ αὐτὸ κινοῦν ἅτε οὐκ ἀπολιπὸν ἑαυτὸ, οὔποτε λήγει κινούμενον. Quo referenda esse videntur Aristotelis verba, Phys. VII, 5 : Ἀδύνατον δὴ τὸ αὐτὸ κινοῦν πάντῃ κινεῖν αὐτὸ ἑαυτό · φέροιτο γὰρ ἂν ὅλον καὶ φέροι τὴν αὐτὴν φορὰν, ἓν ὂν καὶ ἄτομον τῷ εἴδει, ἀλλοιοῖτο καὶ ἀλλοιοῖ.

(2) Quanti Aristotelem fecerit inde patet, sicut et postea patebit.

« vetur. Ergo αὐτοκίνητον potest non ab alio moveri : sed ne « a se quidem sic movetur, ut in ipso aliud sit quod movet, « aliud quod movetur : nec *ex toto*, nec *pro parte*, ut « ille proponit, sed hoc solum, *se ipsum movere* dici- « tur (1), ne ab alio moveri existimetur.

« Sed et illa de motibus Aristotelica divisio, quam supra « retulimus, subripienti magis apta est quam probanti, in « qua ait : *Sicut est quod movetur et non movet*, *ita est* « *quod movet et non movetur*. Constat enim, quod omne « quicquid movetur movet alia : ut dicitur aut gubernacu- « lum navim, aut navis circumfusum sibi aerem vel undas « movere. Quid autem est quod non possit aliud, dum ip- « sum movetur, impellere ? Ergo, si verum non est ea quæ « moventur alia non movere, non constat illud ut aliquid « quod moveat nec tamen moveatur invenias. Illa igitur « magis probanda est in decimo de legibus a Platone mo- « tuum prolata divisio. Omnis motus, inquit (2), aut et « se movet et alia, aut ab alio movetur et alia movet. Et « prior ad animam, ad omnia vero corpora secundus re- « fertur. Hi ergo duo motus et differentia separantur et « societate junguntur : commune hoc habent, quod et « prior et secundus movent alia ; hoc autem differunt, « quod ille a se, hic ab alio movetur. Ex his omnibus quæ « eruta de Platonicorum sensuum fecunditate collegimus, « constitit non esse verum omnia quæ moventur ab alio « moveri : ergo nec principium motus ad deprecandam « alterius moventis necessitatem stare dicetur, quia potest « se ipsum, ut diximus, movere, alio non movente. Ener- « vatus est igitur syllogismus, quem præmissa varia et

(1) Id quidem rectissime a Platonicis affirmatur, quod intimo sensu et observatione comprobatur ; solvuntur ideo pleraque quæ a Peripateticis subtilius nimis objiciuntur.

(2) Conf. Plat. de leg. lib. X. Ἔστω τοίνυν ἡ μὲν ἕτερα δυναμένη κινεῖν κίνησις, ἑαυτὴν δὲ ἀδυνατοῦσα ἀεὶ μία τις, ἡ δ' ἑαυτήν τ' ἀεὶ καὶ ἕτερα δυναμένη κ. τ. λ.

« multiplici divisione collegerat, id est : animæ principium « motus est : principium autem motus non movetur : igitur « anima non movetur. Restat, ut, quia constitit aliquid posse « per se moveri, alio non movente, animam hoc esse doceatur : quod facile docebitur, si de manifestis et indubita- « bilibus argumenta sumamus. Homini motum aut anima « præstat aut corpus, aut de utroque permixtio. Et quia tria « sunt de quibus inquisitio ista procedit, cum neque a cor- « pore neque a permixtione præstari hoc posse constiterit, « restat ut ab anima moveri hominem nulla dubitatio « sit. Nunc de singulis, ac primum de corpore, loquamur. « Nullum inanimum corpus suo motu moveri manifestius « est quam ut adserendum sit ; nihil autem est quod, dum « immobile sit, aliud possit movere : igitur corpus homi- « nem non movet.

« Videndum ne forte animæ et corporis ipsa per- « mixtio hunc sibi motum ministret. Sed quia constat « motum corpori non inesse, si nec animæ inest, ex dua- « bus rebus motu carentibus nullus motus efficitur (1) : « sicut nec ex duobus dulcibus amaritudo, nec duobus « amaris dulcedo proveniet, nec ex gemino frigore calor « aut frigus ex gemino calore nascetur : omnis enim qua- « litas geminata crescit, nunquam ex duplicatis similibus « contrarietas emergit : ergo nec ex duabus immobilibus « motus erit : hominem igitur permixtio non movebit. « Hinc inexpugnabilis syllogismus, ex confessarum rerum « indubitabili luce, colligitur : Animal movetur : motum au- « tem animali aut anima præstat, aut corpus, aut ex utro- « que permixtio : sed neque corpus, neque permixtio « motum præstat ; igitur anima motum præstat. Ex his ap- « paret animam initium motus esse : initium autem motus « tractatus superior docuit per se moveri ; animam ergo

(1) Multa nunc a physicis afferri possunt, quæ demonstrant, ex duabus rebus, motu carentibus, motum effici posse, et ex gemino frigore nasci calorem, etc... Unde omnis hæc subvertitur argumentatio.

« αὐτοκίνητον esse, id est per se moveri nulla dubitatio est.

« Hic ille rursus obloquitur (1), et alia, de initiis, dis-« putatione confligit : eadem enim hic solvendo repete-« mus quæ supra in ordinem objecta digessimus. *Non pos-« sunt*, inquit, *eadem initiis suis esse quæ inde nascuntur*, « *et ideo animam*, *quæ initium motus est*, *non moveri*, *ne* « *idem sit initium et quod de initio nascitur*, *id est ne* « *motus ex motu processisse videatur*. Ad hæc facilis et « absoluta responsio est, quia, ut principia, et hæc quæ de « principiis prodeunt, in aliquo nonnunquam differre fa-« teamur, nunquam tamen ita sibi possunt esse contraria, « ut adversa sibi sunt stare et moveri. Nam si albi ini-« tium nigrum vocaretur, et siccum esset humoris exor-« dium, bonum de malo, ex amaro initio dulce procede-« ret. Sed non ita est, quia, usque ad contrarietatem, initia « et sequentia dissidere natura non patitur; invenitur ta-« men inter ipsa nonnunquam talis differentia, qualis inter « se origini progressionique conveniat : ut est hic quoque « inter motum quo movetur anima et quo movet cætera. « Non enim animam Plato simpliciter motum dixit, sed « motum se moventem. Inter motum ergo se moventem et « motum quo movet cætera quid intersit, in aperto est; « si quidem ille sine auctore est, hic aliis motus auctor « est. Constitit ergo neque adeo posse initia ac de initiis « procreata posse differre, ut contraria sibi sint, nec ta-« men hic moderatam differentiam defuisse ; non igitur « stabit principium motus, quod ille artifici conclusione « collegit.

« His tertia, ut meminimus, successit objectio : *Uni* « *rei simul contraria accidere non posse : et quia con-« traria sibi sunt movere et moveri*, *non posse animam* « *se movere*, *ne eadem et moveatur et moveat*. Sed hoc « superius asserta dissolvunt, siquidem constitit in animæ « motu duo non intelligenda, quod moveat et quod mo-

(1) Macr. Comm. lib. II, c. XVI.

« veatur, quia nihil est aliud ab se moveri, quam moveri « alio non movente. Nulla est contrarietas ubi quod fit « unum est, quia fit non ab alio circa alium, quippe cum « ipse motus animæ sit essentia.

« Ex hoc ei, ut supra retulimus, nata est occasio quarta « certaminis : *Si animæ essentia motus est*, inquit, *cur interdum quiescit, cum nulla alia res contrarietatem propriæ admittat essentiæ* (1)? *Ignis cujus essentiæ calor inest, calere non desinit; et quia frigidum nivis in essentia ejus est, non nisi semper et frigida : et anima igitur eadem ratione nunquam a motu cessare deberet.* Sed « dicat velim quando animam cessare suspicatur ? *Si movendo se*, inquit, *moveat et corpus*, *necesse est utique*, « *quando non moveri corpus videmus*, *animam quoque* « *intelligamus non moveri.*

« Contra hoc in promptu est gemina defensio. Pri- « mum quia non in hoc deprehenditur motus animæ, « si corpus agitetur; nam et cum nulla pars corporis « moveri videtur in homine, tamen ipsa cogitatio, aut « in quocumque animali auditus, visus, odoratus et si- « milia, sed, et in quiete ipsa, spirare, somniare, omnia « hæc motus animæ sunt. Deinde quis ipsum corpus di- « cat immobile, etiam dum non videtur agitari, cum in- « crementa membrorum aut, si jam crescendi ætas et « tempus excessit, cum saltus cordis cessationis impatiens, « cum cibi ordinata digeries, naturali dispensatione, inter « venas et viscera succum ministrans, cum ipsa collectio « fluentorum perpetuum corporis testatur agitatum ? et « anima igitur æterna et suo motu, sed et corpus, quamdiu « ab initio et causa motus animatur, semper movetur. « Hinc eidem fomes quintæ ortus quæstionis : *Si anima*, « inquit, *aliis causa motus est*, *ipsa sibi causa motus esse* « *non poterit*, *quia nihil est quod ejusdem rei et sibi et* « *aliis causa sit*. Ego vero, licet facile possim probare

(1) Mobilem simul et immobilem esse animam declarat Proclus. Vid. Berger : Proclus et sa doctrine, p. 47.

« plurima esse quæ ejusdem rei et sibi et aliis causa sint, « ne tamen studio videar omnibus quæ adserit obviare, « hoc verum esse concedam : quod, et pro vero habitum, « ad adserendum motum animæ non nocebit. Etenim ani- « mam initium motus et causam vocamus. De causa post « videbimus. Interim constat omne initium inesse rei cujus « est initium ; et ideo, quicquid in quamcumque rem ab « initio suo proficiscitur, hoc in ipso initio reperitur. Sic « initium caloris non potest non calere. Ignem ipsum, de « quo calor in alia transit, quis neget calidum ? Sed ignis, « inquit, *non se ipse calefacit*, *quia natura totus est cali-* « *dus*. Teneo quod volebam, nam nec anima ita se mo- « vet, ut sit inter motum moventemque discretio, sed tota « ita suo motu movetur, ut nihil possis separare quod « moveat. Hæc de initio dicta sufficient.

« De causa vero, quoniam spontanea conniventia con- « cessimus, ne quid ejusdem rei et sibi et aliis causa sit, « libenter adquiescimus, ne anima, quæ aliis causa motus « est, sibi causa motus esse videatur. His enim causa motus « est, quæ non moverentur nisi ipsa præstaret ; illa vero ut « moveatur non sibi ipsa largitur, sed essentiæ suæ est quod « movetur. Ex hoc quæstio quæ sequitur jam soluta est. « Tunc enim forte concedam, ut ad motus exercitium in- « strumenta quærantur, quando aliud est quod movet, « aliud quod movetur. In anima vero hoc nec similis jocus « sine damno, verecundiæ audebit expetere, cujus motus « est in essentia : cum ignis, licet ex causa intra se la- « tente moveatur, nullis tamen instrumentis ad superna « conscendat, multoque minus hæc in anima quærenda « sint, cujus motus essentia sua est.

« In his etiam quæ sequuntur vir tantus, et alias ultra « cæteros serius, similis cavillanti est. *Si movetur*, inquit, « *anima*, *inter cæteros motus*, *etiam de loco in locum mo-* « *vetur ; ergo modo*, ait, *corpus egreditur*, *modo rursus in-* « *greditur*, *et in hoc exercitio sæpe versatur*, *quod fieri*

« *non videmus; non igitur movetur.* Contra hoc nullus est « qui non, sine hæsitatione, respondeat non omnia quæ « moventur etiam de loco in locum moveri.

« Aptius denique in eum similis interrogatio retor- « quenda est. Moveri arbores dicis? Quod cum, ut opi- « nor, annuerit, pari dicacite ferietur : Si moventur arbo- « res, sine dubio, ut tu dicere soles, inter alios motus « etiam de loco in locum moventur ; hoc autem videmus « per se eas facere non posse : igitur arbores non mo- « ventur. Sed ut hunc syllogismum additamento serium « facere possimus, postquam dixerimus, ergo arbores « non moventur, adjiciemus : Sed moventur arbores; non « igitur omnia quæ moventur etiam de loco in locum mo- « ventur. Et ita finis in exitum sanæ conclusionis evadet ; « si ergo arbores fatebimur moveri quidem, sed apto sibi « motu, cur hoc animæ negemus, ut motu essentiæ suæ « conveniente moveatur? Hæc et alia valide dicerentur, « etiamsi hoc motus genere moveri anima non posset ; « cum vero et corpus animet accessu, et a corpore, certa « constituti temporis lege, discedat, quis eam neget etiam « in locum, ut ita dicam, moveri? Quod autem non sæpe « sub uno tempore accessum variat et recessum, facit hoc « dispositio arcana et consulta naturæ, quæ ad animalis « vitam certis vinculis continendam tantum animæ injecit « corporis amorem, ut amet ultro quo devincta est, raro- « que contingat, ne, finita quoque lege temporis sui, mœ- « rens et invita discedat. Hac quoque objectione, ut arbi- « tror, dissoluta, ad eas interrogationes quibus nos vide- « tur urgere veniamus.

« *Si movet*, inquit, *se anima*, *aliquo motus genere se* « *movet. Dicendumne est igitur animam se in locum mo-* « *vere? Ergo ille locus aut orbis aut linea est. An se pa-* « *riendo vel se consumendo movetur? Sene auget an* « *minuit? Aut proferatur*, ait, *in medium*, *aliud genus* « *motus quo eam dicamus moveri.* Sed omnis hæc in-

« terrogationum molesta congeries ex una eademque « defluit male conceptæ definitionis astutia. Nam, quia se- « mel sibi proposuit Omne quod movetur ab alio moveri ; « omnia hæc motuum genera in anima quærit, in quibus « aliud est quod movet, aliud quod movetur, cum nihil « horum cadere in animam possit, in qua nulla discretio est « moventis et moti. Quis est igitur, dicit aliquis, aut unde « intelligitur animæ motus, si horum nullus est? Sciet hoc « quisquis nosse desiderat, vel Platone dicente, vel Tullio ; « quin etiam cæteris quæ moventur hic fons, hoc princi- « pium est movendi.

« Quanta sit autem vocabuli hujus expressio, quo « anima fons motus vocatur, facile reperies, si rei in- « visibilis motum, sine auctore atque ideo sine initio ac sine « fine prodeuntem, et cætera moventem, mente conci- « pias ; cui nihil similius de visibilibus quam fons potuerit « reperiri, qui ita principium est aquæ, ut cum de se fluvios « et lacus procreet, a nullo nasci ipse dicatur ; nam si ab « alio nasceretur, non esset ipse principium. Et sicut fons « non semper facile deprehenditur, ab ipso tamen qui fun- « dantur, aut Nilus est, aut Eridanus, aut Hister, aut Ta- « naïs ; et, ut, illorum rapacitatem videndo admirans, et in- « tra te tantarum aquarum originem requirens, cogitatione « recurris ad fontem, et hunc omnem motum intelligis de « primo scaturiginis manare principio ; ita, cum corporum « motum, seu divina, seu terrena sint, considerando, quæ- « rere forte auctorem velis, mens tua ad animam quasi « ad fontem recurrit, cujus motum, etiam sine corporis « ministerio, testantur cogitationes, gaudia, spes, timores. « Nam motus ejus est boni malique discretio, virtutum « amor, cupido vitiorum , ex quibus effluunt omnes inde « nascentium rerum meatus ; motus ejus est quod in de- « sideria rapimur, quod cupiditatibus alligamur : sed hi « motus, si ratione gubernentur, proveniunt salutares, si « destituantur, in præceps et rapiuntur et rapiunt.

« Didicisti motus animæ quos, modo sine ministerio « corporis, modo per corpus, exercet. Si vero ipsius mun- « danæ animæ motus requires, cœlestem volubilitatem et « sphærarum subjacentium rapidos impetus intuere, occa- « sum casumve solis, cursus siderum vel recursus, quæ « omnia, anima movente, proveniunt : immobilem vero « eam dicere quæ movet omnia, Aristoteli non convenit, « qui quantus in aliis sit probatum est, sed illi tantum « quem vis naturæ, quem ratio manifesta non moveat. »

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, prid. non. Decembr. ann. M DCCC LXV,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

PATIN.

Typis mandetur,

Academiæ Parisiensis rector,

A. MOURIER.

INDEX OPERUM

QUÆ AD HANC THESIM CONFICIENDAM EVOLVIMUS.

Abælardi opera inedita : Éd. V. Cousin. Paris, 1836.
Abælardi opera in unum collecta : Éd. Cousin, Jourdain et Despois. Paris, 1849-59.
Augustinus S. De Civit. Dei : Éd. Moreau. Paris, 1846.
Berger : Proclus, exposition de sa doctrine. Paris, 1840.
Brucker : Hist. crit. Philosophiæ. Lipsiæ, 1767.
Caro : Idée de Dieu. Paris, 1864.
Ciceronis philosophica opera : Éd. Lemaire et Bouillet. Paris, 1828.
Dictionnaire des sciences philosophiqnes. Paris, 1844 à 1852.
Cousin : Hist. générale de la Philosophie. Paris, 1863.
Hauréau : De la Philosophie scolastique. Paris, 1850.
C. Jourdain : Philosophie de S. Thomas d'Aquin. Paris, 1853.
P. Janet : La Crise philosophique, et les idées spiritualistes en France. Revue des Deux-Mondes (juillet et août 1864).
E. Lamé : Julien l'Apostat. Paris, 1861.
Charles Lévêque : Études de philosophie grecque et latine. Paris, 1864.

Macrobe : Éd. Nisard. Paris, 1845.
Macrobe : Éd. Panckoucke. Paris, 1846.
Macrobius : Ed. Janus. Quedlimb. et Lipsiæ, 1848.
H. Martin : Études sur le Timée. Paris, 1841.
Nourrisson : Philosophie de S. Augustin. Paris, 1864.
Plotini Enn., Porphyrii Inst., etc. : Éd. Creuzer. F. Didot, 1855.
Plotin (les Ennéades de) : traduites par Bouillet et Eugène Lévêque. Paris, 1859.
Proclus : 1re éd. Cousin. Paris, 1820.
Proclus : 2e éd. Idem. Paris, 1863.
Ritter : Histoire de la philosophie, traduite par Tissot. Paris, 1835.
Simon : Hist. de l'école d'Alexandrie. Paris, 1845.
Talbot : Traduction de Julien l'Apostat. Paris, 1862.
S. Thomas d'Aquin : Somme Théologique : Éd. L. Vivès. Paris, 1855.
Vacherot. Hist. crit. de l'École d'Alexandrie. Paris, 1846-1851.

INDEX CAPITUM.

I. Introductio et propositum........................ 1

II. De Macrobii patria, religione, ætate............ 7

III. Libanii discipulus fuit Macrobius.............. 10

IV. De Commentario Macrobii in Somnium Scipionis, et de his quæ Commentario præponuntur..... 13

V. Quid docuerit Macrobius de NATURALI PHILOSOPHIA : de numeris; de mundi harmonia; de astronomia; de astrologia; de mundi descriptione...................................... 22

VI. Quid docuerit Macrobius de RATIONALI PHILOSOPHIA : de Deo; de intelligibilibus; de animæ natura, origine, immortalitate; de mundi æternitate.................................. 41

VII. Quid docuerit Macrobius de MORALI PHILOSOPHIA : de ordine et gradu virtutum; de gloriæ contemptu; de voluntaria morte............. 66

VIII. Macrobius Alexandrinis et Augustino comparatus. 80

IX. Quam lectus, et quanti æstimatus, a Medii ævi scriptoribus, fuerit Macrobius............... 90

X. Conclusio 100

APPENDIX : Macrobii, de spontaneo animæ motu et immortalitate, adversus Peripateticos, disputatio 107

Index operum quæ ad hanc thesim conficiendam evolvimus........................ 129

Index Capitum........................ 131

Paris. — Imprimerie de Ad. Laine et J. Havard, rue des Saints-Pères, 19



